DE
PLINII MINORIS
ELOQUENTIA

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

PAUL MORILLOT

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS,
LINGUÆ AC LITTERIS GALLICIS IN FACULTATE GRATIANOPOLITANA
PRÆFECTUS.

GRATIANOPOLI
EX TYPIS JOSEPHI ALLIER
in Vico Magno, n° 8

1888

DE

PLINII MINORIS

ELOQUENTIA

DE

PLINII MINORIS ELOQUENTIA

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

PAUL MORILLOT

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS,
LINGUÆ AC LITTERIS GALLICIS IN FACULTATE GRATIANOPOLITANA
PRÆFECTUS.

GRATIANOPOLI
EX TYPIS JOSEPHI ALLIER
in Vico Magno, n° 8

1888

DE PLINII MINORIS ELOQUENTIA

PROŒMIUM

Suis oratoribus Roma semper valde gloriata est, nec immerito; cum enim in ceteris artibus latinum ingenium plus minus feliciter elaboraverit, in eloquentia præsertim effloruit, quæ mire gentis naturæ conveniebat : neque armis solum orbem terrarum vincere dii immortales Romanis permiserunt, sed et dicendo regere, et semet ipsos sola vi orandi pro maxima reipublicæ utilitate administrare; adeo ut, si quis Romanæ eloquentiæ historiam velit scribere, is et populi romani fortunam simul explicare debeat. Plurimæ igitur fuerunt artis oratoriæ vices, neque eadem unquam fuit per tot sæcula eloquentiæ facies. Quantum distent illæ, quas apud plebem Gracchi conciones habuere, ab ista Symmachi, quæ *pro Ara Victoriæ* inscribitur, oratione, admonere pæne supervacaneum est. Sed, ne tam dissimilia tamque longis intervallis separata exempla afferam, eadem

ætas non eamdem dicendi rationem unquam vidit. Ciceronis adhuc viventis non integra mansit gloria, et fuere, qui se Miloniana aut Verrinis non contentos esse profiterentur, novamque agendi formam colerent. Adeo mobilis, variisque rerum vicissitudinibus connexa fuit eloquentia!

Sed cum perpetua fuerit hæc pristinæ artis mutatio, in primis gravis magnique momenti fuit circa primi post J. C. sæculi exitum. Tunc enim reipublicæ et leges, et mores, et formam ipsam novus rerum ordo exceperat. Ubi summa imperii in unius potestatem devenit, nilque libertatis nisi nomen ac velut umbra superfuit, tum fori vox, quæ tamdiu ardentissimis civium contentionibus strepuerat, obticuit; tacuit et senatus, aut saltem jam non in liberas, id est in disertas sententias ivit, sed, ad nutum principis censere assuetus, de publicis commodis disserere destitit, privata autem odia conflavit; tum Vibius Crispus et Eprius Marcellus lingua præpotentes; tum Thraseas mutus aut curia excedens. Judiciis quoque suus est splendor præreptus, cum jam non in foro, apud prætorem, magna populi corona circumstante, causæ gestæ sunt, sed plerumque apud centumviros, in auditoriis aut tabulariis, ubi vox dicentium loci angustiis et exiguitate velut obruebatur. Non jam « veræ causæ » et « vera prælia » de honore aut magistratu erant, sed sæpius privata ac domestica negotia agebantur, in quibus dare orationi vela parum conveniebat. Nunquam in his minoribus ac velut minutis judicoiis Cicero

vel Cæsar, vel Brutus, vel Cœlius, vel Calvus, vel quilibet magnorum prioris ævi oratorum adstiterat[1]. At, foro silente, illuc se veteris facundiæ reliquiæ, non sine quodam damno dignitatis, receperant.

Sed non materies modo ad vilitatem prolabebatur : forma quoque in deterius paulatim mutabat. Quot vitia orationi attulerint illæ rhetorum scholæ, in quas pueri deducebantur, omni artificio informandi, omnibusque necessariis instrumentis muniendi, quis ignorat? Nunquam tot juvenes eloquentiæ laudem affectaverunt; nunquam tot dicendi magistri, tot discipuli, tot præcepta; nunquam vero (cur non dicam?) tot voces verbaque inania in suasoriis aut controversiis, aut in cujuslibet generis declamationibus fluxere. Denique, nunquam tam multi oratores, loquendi prurigine flagrantes; nunquam vero simul tam vitiosa tamque reprehendenda dicendi ratio. Itaque hæc singularis luxuria, cum in scholaticis exercitationibus, aut in centumviralibus judiciis non contineretur, in publicas recitationes effluxit, ubi auditorium, et auditores, et certi plausus præsto erant. Non jam forensis aer, et aperta libertatis spatia eloquentiam alebant, sed intra conclavis muros, ante subsellia amicorum plena, recitabat ille Demosthenis æmulus, omnesque plausus et clamores summatim in illa die percipiebat, quos iisdem amicis recitantibus auditor nuper singulis

[1] *Dial. de Orat.* 38.

[illegible] vidit. [illegible] mansit glo-[illegible] non [illegible] agendi [illegible] rerum [illegible]

[illegible] artis [illegible] momenti fuit [illegible] Tunc enim [illegible] formam ipsam [illegible] summa imperii [illegible] libertatis nisi [illegible] fori vox, [illegible] contentionibus [illegible] aut sal-tem [illegible] sententias [illegible] censere assuetus, de publicis commodis disserere destitit, privata autem odia [illegible]; tum Vibius Crispus et Eprius Marcellus lingua præpotentes; tum Thraseas mutus aut curia excedens. Judiciis quoque suus est splendor præreptus, cum jam non in foro, apud prætorem, magna populi corona circumstante, causæ gestæ sunt, sed plerumque apud centumviros, in auditoriis aut tabulariis, ubi vox dicentium loci angustiis et exiguitate velut obruebatur. Non jam « veræ causæ » et « vera prælia » de honore aut magistratu erant, sed sæpius privata ac domestica negotia agebantur, in qu[illegible] dare orationi vela parum conveni[illegible] in his minoribus ac velut mi[illegible]

vel Cæsar, vel [illegible] vel quilibet [illegible] titerat[1]. At, [illegible] reliquiæ, non [illegible] receperant.

Sed non [illegible] tur : forma [illegible] Quot vitia [illegible] in quas pueri [illegible] mandi, omnibusque [illegible] niendi, quis [illegible] quentiæ laudem [illegible] magistri, tot [illegible] vero (cur non dicam [illegible] in suasoriis aut [illegible] generis declamationibus [illegible] quam tam multi ora[illegible] flagrantes; nunquam [illegible] que reprehendenda [illegible] singularis luxuria, cum [illegible] tionibus, aut in [illegible] contineretur, in [illegible] auditorium, et auditores [illegible] erant. Non jam [illegible] spatia eloquentiam [illegible] muros, ante [illegible] ille Demosthenis [illegible] [illegible]

dederat. Hinc putidi nimisque elegantis sermonis amor, hinc cogitationes vacuæ et inanes, ita ut Quintilianus de suæ ætatis oratoribus verius dixisset : non est pectus quod disertos facit, sed ingenium.

Sic in pejus vertebatur eloquentia, postquam, libertate amissa, unius imperio Roma parere consuevit. Documento est ille eximius tamque exquisitis sententiis prælucens *De Oratoribus, sive de causis corruptæ eloquentiæ Dialogus,* qui Tacito, nec immerito, ut videtur, adscribi solet. Hinc enim apparet quantus dicendi amor adhuc Romæ vigeret, præsertim postquam Græcæ artes in antiquam Catonis urbem defluxerunt; quanta vero impedimenta et pericula eloquentiam undique stringerent et coercerent. Frustra M. Aper, furore quodam divino instinctus, oratoriæ artis dignitatem et gaudia celebrat hortaturque juvenes ut viam honoribus et voluptate plenam ingrediantur. Messala autem causas abunde explicat cur omnia a vetere gloria degeneraverint, et cur, cum tam multi dicere enitantur, tam paucos reperire sit, qui bene dicant. Denique Maternus tanquam funera eloquentiæ ducit, et hanc tristissimam cogitationem affert, nullum locum esse huic arti sub principibus, cum omnes in obsequium unius sint parati, et « quoniam nemo eodem tempore adsequi possit magnam famam et magnam quietem[1] », bono sæculi sui saltem fruendum.

[1] *Dial. de Orat.* 41.

Tristius forsitan et injustius peroraverat Maternus, cum eloquentiam pretium principatus esse, pacemque silentio redimi affirmaret : nam post paucos annos artem dicendi renascentem et pæne in antiquum splendorem restitutam vidisset. Non de Domitiani principatu loquor, quem funestum bonis viris et liberalibus studiis Tacitus in *Vita Agricolæ* nobis depinxit[1] : tum enim, ut ait, omnis bona ars in exsilium acta, vox populi romani, libertas senatus, et conscientia generis humani aboleri videbantur. Sed, cum boni principes quietem saltem et securitatem civibus reddiderunt, tunc ingenuæ artes, diutius compressæ, velut eruperunt, adeo ut illa ætas, si non ingenio splendidissima et eminentissima fuerit, saltem scriptorum feracissima vere dici queat. Nunquam tot carmina, tragœdiæ, hendecasyllabi, tot cujuslibet generis poemata exstitere, nunquam tot historiarum libri, nunquam tot orationes. Incredibilis studiorum amor pleraque ingenia accendebat[2]. Tum Augusti sæculum renasci, et forsitan superari nonnulli credebant, et valde superbiebant, quod quisque annus tam magnam poetarum et oratorum segetem afferebat. Denique Aper, si adhuc vixisset, veterem oratoriæ artis gloriam et favorem non desiderasset.

Auctane an deminuta fuerit eloquentia hac oratorum abundantia quærere operæ pretium foret.

[1] *Vita Agric.* 2.

[2] Plin. *Epist.* I, 10 : « Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. »

At, ne tantum opus insumam, de C. Plinii Cæcilii Secundi, qui super ceteros ejusdem ætatis disertissimos viros eminuit, loquar. Primum ejus oratorium cursum, ut in tali tempore, clarissimum, exponere; dein paucis de *Panegyrico* disserere; tandem, quid Plinius de eloquentia ipsa senserit, et quomodo illam invitus inclinaverit, ostendere mihi propositum est.

I

DE PLINII CURSU ORATORIO[1].

Etsi ex orationibus habitis scriptisque a Plinio nihil nisi *Panegyricus* in manus nostras devenit, satis aperte tamen novimus, aut potius conjicimus, qualis in dicendo fuerit ille Trajani clarissimus laudator. Minime enim is fuit, qui vitam suam absconderit, seque suæ peculiaris gloriæ incuriosum præstiterit. Quare epistolas ejus, quas ipse edidit publicavitque, interrogemus, non ut privatum et quasi tunicatum virum, sed ut publicum, magnis officiis non imparem, et magnam eloquentiæ laudem adeptum deprehendamus. Ex illis nempe pæne omnem Plinii oratorium cursum, a puero usque ad ultimum vitæ terminum, restituere possumus.

De magistris tamen, quos habuerit, parum est locutus. Libentissime ab eo accepissemus, quid in schola Nicetis Sacerdotis, Smyrnæi illius rhetoris,

[1] Cf. Meyer. *Fragmenta oratorum romanorum*. — Froment. *Pline le Jeune et le barreau sous Trajan* (Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux, 1881, p. 128).

quem, Vespasiano imperante, multa romana juventus celebrabat, et ipse Plinius adhuc adolescentulus sæpe audierat[1], didicerit; quid præsertim in illa præclarissima Quintiliani schola, e qua tot diserti exiere viri, qui Trajani tempore floruerunt. Sed Plinius vix suos præceptores nominavit, neque bis amplius de Quintiliano, quem tamen super ceteros assidue frequentaverat, locutus est[2]; ita ut nobis sit necesse, velut *a posteriori*, id est e *Panegyrico*, inquirere, quomodo discipulus magistri præcepta in dicendo fuerit exsecutus. Fuere et alii, qui, si non omnino docuerunt, admonuerunt tamen in illo oratoriæ artis rudimento, hortamentisque stimulaverunt; ex quibus memorare possumus Artemidorum, et Euphratem philosophum, quos in Syria cognoverat, et in primis Plinium Secundum nostri Plinii avunculum, eumdemque per adoptionem patrem, quem sæpissime de eloquentia disserentem audire potuit (nam septem et vigenti annos natus erat, cum in Misenensi littore amisit), aut cujus saltem de rhetorica opera perlegerat : libros enim Plinius (de priore loquor) reliquerat, quos *Studiosorum* inscripse-

[1] *Ep.* VI, 6. — De Nicete Sacerdote cf. Tacitum (*Dial. 15*), et in primis Philostratum (*Vitæ Sophist.* I, 19) ubi Nicetes laudibus ornatur.

[2] *Ep.* II, 14. « Ita certe ex Quintiliano, præceptore meo, audisse memini. » — *Ibid.*, VI, 6 : « Prope quotidie ad audiendos, quos tunc ego frequentabam, Quintilianum et Niceten Sacerdotem ventitabat. » — Quidam Quintilianus, Tutiliæ vir, cui Plinius epistolam (VI, 32) misit, cujusque filiæ nubenti quinquaginta millia nummum dedit, non est noster Quintilianus. (Cf. Teuffel. Trad. Bonnard et Pierson, 325, 4).

rat, in quibus multa varie ad oblectandas hominum aures, ut ait Aulus Gellius, posuerat; in his quoque reperire erat plerasque sententias, quas in declamandis controversiis lepide arguteque dictas putabat[1]. Tutilium quoque nominemus, qui rhetorum princeps appellabatur, et Verginium Rufum, et Corellium, quos in consilium adolescens adhibere solebat, quorumque vestigia inire gestiebat; deinde Cornelium Tacitum ipsum, quo familiariter utebatur, non tamen ut æquali, sed ut graviore amico, jamque gloriam adepto. Illi scilicet omnes consiliis Plinii eloquentiæ aliquantum profecerunt.

Sed Plinium ipsum, non jam in schola discentem, sed in veris causis orantem cernamus. « Uno de vicesimo ætatis anno dicere in foro cœpi[2] », id est, vel Tito adhuc principatum obtinente, vel Domitiano inchoante. Non igitur in rhetorum officinis diu commoratus fuisse videtur, contra illius temporis morem; sed, ut majoribus consuetum erat, gravissimis oratoribus, iisdemque eminentibus viris quasi innixus, ad forensia prælia sese accinxerat, et adolescens jam cuicumque causæ parem se ostendebat; flagrabat enim veteres imitari, L. Crassum, Cæsarem, Asinium Pollionem, Calvum, qui circa vigesimum ætatis annum jam dicendi gloriam affectaverant. Quæ fuerit illa prima causa, in qua Plinius tirocinium posuit,

[1] Aul. Gell. *Noct. att.* IX, 16.
[2] *Ep.* I. 18.

non aperte cognovimus[1]. Scimus tamen eum Juni Pastoris causam suscepisse, cum adhuc adolescentulus esset, atque hinc prima gloriæ præmia percepisse : « Illa oratio mihi aures hominum », ut profitetur non sine quadam superbia, « illa mihi januam famæ patefecit[2]. » Egit Plinius in quadruplici centumvirorum judicio, egit « contra potentissimos civitatis atque etiam Cæsaris (Domitiani) amicos »; egit, quamvis quiescenti ei visa fuisset socrus advoluta genibus ne ageret obsecrare; egit, et « eventus prospere cessit. » Sic saltem rem narrat Suetonio Tranquillo[3]; at forsitan hæc, cum Domitiano mortuo scripsit, paululum adornavit, neque ad absolutissimam veritatem expressit. Adolescens quidem erat, cum pro Pastore dixit, non tamen omnino « adolescentulus », ut videtur; nam socrum memorat, nempe Pompeiam Celerinam[4], quam viduus e secundo matrimonio socrum habebat. Causa igitur, ut conjici potest, acta est, postquam Plinius primos honorum gradus transierat, fueratque ex ordine decemvir stlitibus judicandis, et tribunus militum in legione III^a gallica, quæ in Syria erat, denique sevir equitum romanorum[5]. Tum in senatum, his

[1] In epist. IV, 1 loquitur de Tiferno : « Oppidum est prædiis nostris vicinum, quod me pæne adhuc puerum patronum cooptavit. » Forsitan hæc est prima, quam noster habuerit, oratio.

[2] *Ep.* I, 18.

[3] *Ibid.*

[4] Cui epist. I, 4 scribitur.

[5] De Plinii cursu honorum confer Mommsen. *Étude sur Pline le Jeune,* traduite par C. Morel. Vieweg 1873 (Biblioth. de l'École des Hautes Études).

officiis functus, admittebatur; tum, ut opinor, aut saltem sub idem tempus, causam Pastoris suscepit, neque in illa die prima verba coram judicibus fecit, sed primum splendide ac feliciter dixit; neque adeo magna pericula adivit, qui postea etiam Domitiano gratus permanserit, et, ut ipse confitetur, quasi cursu quodam ab insidiosissimo illo principe ad honores fuerit provectus[1]. Quæstor enim imperatoris (non senatus) circa annos 89-90, tribunus plebis circa 91-92, prætor denique designatus anno 92 fuit, non invito Cæsare, neque infesto, sed libente, ne dicam favente, atque etiam citius quam leges paterentur[2]. In hoc primo Plinianæ eloquentiæ tempore (81-92) nihil nisi causam Juni Pastoris retinuimus[3]. Publicis enim officiis tum distringebatur, neque se totum oratoriis certaminibus dabat : imo in tribunatu tacuit[4], ne sacrosanctæ potestatis majestatem in judiciorum contestationibus fœdaret. Ceterum verisimile est nostrum adhuc tenerum oratorem coram centumviris præsertim, in criminalibus judiciis, verba fecisse, neque tum illustrem dignamque ingenio materiam invenisse. Nam, si invenisset, non hercule tanta verecundia erat, qui suam gloriam posteris in epistola quadam non commendaret.

At demum in posteris Domitiani principatus

[1] *Pan*. 95.

[2] Cf. Mommsen (op. cit.) 59-61. — Cf. quoque Plinii epist. VII, 16: « Tironem in prætura sum consecutus, cum mihi Cæsar annum remisisset. »

[3] Adde Tiferni causam, de qua supra diximus.

[4] *Ep*. I, 23. — *Pan*. 95 : « in tribunatu quies. »

annis (93-96) crevit Plinii fama, seque palam, non sine quadam audacia, effudit illa, de qua disserimus, eloquentia. Anno enim 93 vergit in scelesta facinora Domitianus, qui antea nondum cujusque boni et honesti odium profitebatur[1]. Tum Plinius præturam, ad quam Cæsaris favor vocaverat, inibat. Difficile erat et Cæsaris benevolentiæ, et illustrissimorum virorum, Cæsari invisorum, amicitiis satisfacere : in hoc tamen novus prætor est enixus, seque ex tam imminentibus periculis feliciter expedivit. Scilicet initio anni 93[2] Bætici questi sunt apud senatum de proconsule Bæbio Massa, deditque senatus advocatos provinciæ Herennium Senecionem ac Plinium. Bæbius Massa delator erat, omnium nequissimus, Neronis libertus, Domitiano acceptus, cunctis timendus[3]. Sed jusserat senatus, causamque periculosius erat detrectare quam suscipere. Egit igitur Plinius prudenter, non tamen sine quadam libertate. Egit cum Senecione, jam tum Cæsari inviso, amboque

[1] *Pan.* 95.

[2] Nam in *Agricola* Taciti (cap. 45) legimus Agricolam (mortuum sextili mense anni 93) vidisse jam reum Bæbium Massam ; Plinius autem in tribunatu (quo excessit 9 dec. 92) se nullam causam egisse dixit. Igitur initio anni 93 necesse est Bæbii Massæ causam assignare, quæ, in longum producta, non ante ultimos ejusdem anni menses judicata est.

[3] Cf. Juvenalem 1, 35

> ... Quem Massa timet, quem munere palpat
> Carus...

Cf. quoque *scol. Juvenal.* « Massa morio fuisse dicitur, et Carus nanus..... hi omnes Neronis fuerunt liberti... sed et nequissimi delatores. — Cf. etiam Sid. Apoll. (*Ep.* V, 7). — Tacitum (*Hist.* IV, 50 — *Agric.* 45).

summa concordia, ut ait, injunctam sibi accusationem executi sunt[1]; quæsitum est an danda esset inquisitio: data est[2]; atque insuper senatus censuit, Massa damnato, ut bona ejus publice custodirentur[3]. Hæc fuit Bæbii Massæ causa, cujus eventus omnes libertatis et probitatis amicos tum paulisper erexit, Cæsaris autem odia ac suspiciones erga bonos exacuit. Hoc constantiæ Plinii tribuatur, quod pro justissima causa vera pericula adierit; hoc solertiæ, quod effugerit; ceterum ipse sibi de utraque satis est gratulatus[4]. Paulo post, Trajano imperante, memorare eum juvabat quanta discrimina pro Bæticis olim subisset; vel, in epistola Quadrato suo scripta, referebat Thraseam « præcipere solitum suscipiendas esse causas aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes », causamque Bæbii Massæ inter hujusmodi causas jure ponebat. Utcumque se res habuerit, Plinii civili virtuti haud male cessit; accurate enim abstinuit, quominus triumpho suo abuti videretur; Senecio autem exsultans, suique impotens, Massam vel ultra judicium exagitare gestiebat; quem Plinius, quoad poterat, a proposito deterrebat, secutus est tamen, sed ita ut primas partes Senecioni relinqueret, et Massa amari-

[1] *Ep.* VII, 33.
[2] *Ep.* VI, 29.
[3] *Ep.* VII, 33.
[4] *Ep.* III, 4. « Cum recordarer quanta pro iisdem Bæticis priore advocatione pericula subissem. » — Vide etiam *Ep.* VII, 33, Cornelio Tacito.

tudinem Senecionis, non Plinii, incusaret[1]. Mox enim Senecio a Metio Caro delatus, quia vitam Helvidii scripserat Thraseamque sanctissimum virum nominarat; moxque capite damnatus; mox et interfecti Helvidius Priscus junior, et Junius Arulenus Rusticus; tum in exsilium missi M. Junius Mauricus, Rustici frater, tum Fannia, Prisci socrus, tum Arria, ejusdem mater, tum Gratilla[2]; tum ovantes in senatu Carus, et Messalinus, et Aquilius Regulus. Illorum nobilissimorum virorum (non de delatoribus loquor) feminarumque familiaritate Plinius fruebatur, illorumque morte aut exsiliis altissime mœruit. Nec interdum Domitiani furor cessabat : in eodem exsecrabili anno (93) pulsi Roma philosophiæ magistri, inter quos Dio Chrysostomos, Epictetes, ut aiunt, et ille, quem in Syria quondam Plinius noverat, cum militaret, Artemidorus. Hunc ausus est, etsi prætor erat, in suburbano visere, eique pecuniam ac viaticum dare[3]; neque ideo tyranni invidiam excitavit, qui aut ignoravit, aut ignovit.

Non solam Bæbii Massæ causam Plinius egit, sub Domitiani principatu. Aliæ fuerunt, quas sus-

1. Hæc omnia in ep. VII, 33, ex ordine narrantur. Plinius dicit se Senecioni subvenisse, ut, si qua ex hoc invidia foret, non Senecionis tantum esset. Senecionem tamen tota invidia oppressit, ut ex eventu patet.

2 *Ep.* III, 11. — Cf. Sueton. *Vita Domit.* (cap. 10).

3 *Ep.* III, 11. « Fui apud illum in suburbano, et quo notabilius, hoc est periculosius, esset, fui prætor. Pecuniam ipsam, qua tunc illi ampliore opus erat, ut æs alienum exsolveret contractum ex pulcherrimis causis, mussantibus magnis et locupletibus amicis, mutuatus ipse gratuitam dedi. »

cepit, sed quæ minus gloriæ ei, et forte minus periculi attulerunt. Sic Voconio Rufo narrat se, cum apud centumviros adforet Arrionillæ, Timonis uxori, rogatu illius Aruleni Rustici cujus miserrimam mortem supra memoravi, ausum fuisse aliquam Mettii Modesti, qui tum a Cæsare relegabatur, sententiam expromere, et ideo capitaliter fuisse a Regulo lacessitum[1]. Alias cum Satrio Rufo, optimo viro, contra eumdem Regulum in centumvirali judicio se egisse dicit[2]. M. Aquilium Regulum scilicet plerumque adversarium habebat, cujus figuram tam vere lepideque in quadam epistola expressit : homo erat disertissimus, lingua præpotens, qui sub Nerone optimos cives accusaverat, sub Domitiano quoque Crassum et Camerinum et tantum non Plinium perdiderat, locuples, factiosus, a multis curatus, a pluribus reformidatus : idem sub Nerva timidus et humilis et abjectissimus, et valde cupiens sibi Plinium reconciliari ; denique δυσκαθαιρετός, ut ait Plinius, et qui, ut malis principibus acceptus fuisset, ita a bonis impunitus evaderet. Quantum distat ille a nostro Plinio tam candido, tam officioso, tamque prono in quæcumque honesta ac bona erant ! Salva igitur dignitate, salvaque securitate Plinius pessima hæc tempora transivit ; nil fecit, nilque dixit, propter quod, Nerva

[1] Omnia hæc fuse et lepide in epistola (I, 5) exponuntur. « Nec famam meam aliquo responso, utili fortasse, inhonesto tamen, læseram, nec me laqueis tam invidiosæ interrogationis involveram. »

[2] *Ibid.*

aut Trajano imperantibus erubescere debuit. Fuit et erga amicos fidelis, et erga principem non ingratus. Profitetur se substitisse, et, cum videret quæ ad honores compendia paterent, longius iter maluisse[1]; voluissemus modo illud iter etiam longius fuisse, Pliniumque minus felicem. In eodem tempore Tacitus, qui prætor fuerat anno 88, nullum intra hos novem annos magistratum inierat; in silentio et in secessu vivebat : satisque erat, ut in tali sæculo, vivere.

Occiso Domitiano, bonorum civium ut actui, sic eloquentiæ, apertus campus patebat. Tum demum libere loqui Plinio datum est. Magnam pulchramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi[2] invenit. « Porro inter multa scelera multorum, nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, prætorius consulari, reo judex manus intulisset. » De Helvidio Prisco loquitur[3], quem, anno 93, Publicius Certus accusaverat, in media curia arripuerat, et in carcerem duxerat[4]. Hunc Certum Plinius ausus est, anno 97, in medio senatu accusare, tanquam immanissimi sceleris reum. Neque res facillime se habuit; nam Certus erat præfectus ærarii Saturni, consul designatus, magnis amicitiis innixus; et tum jam prima recuperatæ libertatis gaudia

[1] Fuit tamen præfectus ærarii militaris, anno 95.

[2] *Ep.* IX, 13.

[3] De filio agitur illius quem Vespasianus interfecit et Senecio laudavit. Uxor erat ei Anteia, Arria noverca, Fannia mater novercæ.

[4] Tristissime de hoc Tacitus in *Vita Agricolæ*, 45 : « Mox nostræ duxere Helvidium in carcerem manus. »

deferbuerant, expleverantque plerique odia diu latentia; pace ac securitate, non novis criminibus tunc opus erat. Undique enim Plinio reclamari : « Salvi simus, qui supersumus. » Plinius tamen, ut ait, imperturbatus, interritus pergit, quamvis contra pæne omnium sententiam eat, consulum, Fabricii Veientonis, Fabii Posthumii, Vectii Proculi (uxoris vitrici), Satrii Rufi ipsius, quocum sæpius pro libertate et pro justitia quondam egerat; soli Avidius Quietus, et Cornutus Tertullus, quem arcta et carissima familiaritate fovebat, comprobant. Denique tamen vicit Plinii sententia : « tanta conversio vel negotii dignitatem, vel proventum orationis, vel actoris constantiam consecuta est. » Non damnatus Certus (nam relationem de eo Cæsar ad senatum non remisit), sed notatus, consulatuque destinato destitutus est. Verba quibus peroraverat Plinius ipse nobis servavit : « Reddat præmium sub optimo principe, quod a pessimo accepit ! » Hæc fuit quoque « ad exemplum pertinens » causa [1], et qua semper maxime Plinius superbierit ; orationem retractavit eique formam libellorum dedit, quibus inscripsit : *De Ultione Helvidii.*

Illam unicam, ut opinor, aut saltem solam nobilem causam egit Plinius sub Nervæ principatu. Paulo post enim præfectus ærarii Saturni factus

[1] Certus, paulo post, decessit. Hanc quoque mortem Plinius, sui nunquam oblitus, ad exemplum referebat. « Audivi referentes hanc imaginem menti ejus, hanc oculis oberrasse, tanquam viderent me sibi cum ferro imminere. Verane hæc, affirmare non ausim ; interest tamen exempli ut vera videantur. » (*Ep.* IX, 13).

est, anno 98, omnibusque advocationibus, quibus alioquin nunquam promiscue erat functus, renuntiavit, ut toto animo delegato sibi officio vacaret [1]. Renuntiavit quidem, non tamen ultra annum 99 se omnino excusare potuit. Tum enim Afri Plinium patronum optaverunt contra Marium Priscum proconsulem repetundarum reum, et, quod immanius erat, capitalis rei arcessitum, scilicet qui ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset. Petiit veniam hujus muneris Plinius et impetravit. Senatus tamen, quamvis excusatione recepta, Plinii et Taciti nomina in urnam conjecit, eosque ad accusandum Priscum designavit; nec jam tam grave amplumque munus detrectaverunt, annuente Trajano.

Rem ex ordine Plinius narravit [2]. Primum quæsitum est an Prisco judices, ut rogabat (nam judicium senatus reus reformidabat), a prætore dandi essent. Tacitus ac Plinius magna vi censuerunt causam a senatu retinendam esse, pro immanitate scelerum de quibus Priscus postulabatur. Fronto Catius contra, « vir movendarum lacrimarum peritissimus, » est deprecatus ne quid ultra repetundarum legem quæreretur ; tandem in Julii Ferocis, consulis designati, sententiam senatus ivit, causæque divisionem statuit : quod ad repetundas pecu-

[1] *Ep. ad Traj.* 3 (secundum Keil). « Ut primum me, domine, indulgentia vestra (*id est Nervæ ac Trajani*) promovit ad præfecturam ærarii Saturni... » Collega illi Tertullus fuit, collega et in consulatu (100), quem gessit cum præfectura. Præfecturam enim adhuc anno 101 exercebat, ut patet ex epist. III, 6.

[2] *Ep.* II, 11.

nias spectabat, judicibus reliquit; quod ad innocentes damnatos interfectosque argenti pretio, sibi retinuit. Paulo post Priscus a judicibus de peculatu damnatus; sed aliquot menses fuere antequam in senatu capitalis causa ageretur; nam ex provincia multi testes arcessiti, pluresque etiam adesse jussi, ut in scelere Prisci consortes. Venit tandem illa dies quæ dicta fuerat : senatus celeberrimus, et cujus ipse conspectus fuerit augustissimus; princeps Trajanus (erat enim consul[1]) præsidebat; neque minus diebus tribus opus fuit, ut res conficeretur. « Quam antiquum, quam consulare, quod triduum totum senatus sub exemplo tui sedit, cum interea nihil præter consulem ageres! » Sic in *Panegyrico*[2] Plinius Trajanum laudat, quod quemque dicendi, interrogandi, et dissentiendi compotem fecerit. Pauca Plinius de Taciti oratione, qui « eloquentissime respondit, et, quod eximium orationi ejus inest, σεμνῶς. » Plura de se, de metu dicendi in illo cœtu, præsente Cæsare, denique de sua oratione quam habuit, non minore, ut ait, audientium assensu, quam sollicitudine sua. « Dixi horis pæne quinque (nam duo-
« decim clepshydris, quas spatiosissimas accepe-
« ram, sunt additæ quatuor) : adeo illa ipsa, quæ
« dura et adversa dicturo videbantur, secunda
« dicenti fuerunt! Cæsar quidem mihi tantum

[1] Id est, initio anni 100 (mense januario). De tertio Trajani consulatu agitur. Cf., apud Mommsen, fastos consulares sub Nervæ ac Trajani principatu (Op. cit.).

[2] *Pan.* 76.

« studium, tantam etiam curam (nimium est enim « dicere sollicitudinem) præstitit, ut libertum meum « post me stantem sæpius admoneret, voci lateri- « que consulerem, cum me vehementius putaret « intendi, quam gracilitas mea perpeti posset [1]. » Pro Mario Prisco dixerunt Claudius Marcellinus, Catius Fronto, et, quod gravius erat majorisque momenti, Salvius Liberalis, « vir subtilis, dispositus, acer, disertus, qui in illa causa omnes artes suas protulit. » Attamen in Cornuti Tertulli sententiam plerique senatores iverunt; Priscus septingenta millia, quæ acceperat, ærario intulit, illique Urbe et Italia interdictum; præterea senatus arbitratus est Plinium et Tacitum injuncta advocatione diligenter fortiterque esse functos. Vicerat Plinius : duriorem tamen pœnam, credo equidem, Prisco petierat, ut ex Juvenali conjicio, qui inane fuisse hoc judicium declarat :

Hic damnatus inani
Judicio, (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit et fruitur Dis
Iratis : at tu, victrix provincia, ploras [2].

Actum est postea in Firminum, Prisci legatum, qui non ex ordine fuit submotus, ut Tertullus censuerat, sed tantum in sortitione provinciarum omissus : ex quo clarius etiam apparet reos non pœna ab accusantibus postulata fuisse affectos [3].

[1] *Ep.* II, 11.
[2] *Sat.* I, 5.
[3] Plinius tamen, ut homo qui optima semper, quæque ad ipsum pertinebant, existimaret, contentissimum se senatus sententia fuisse professus est.

Ceterum in hac Firmini causa Plinium constat non dixisse.

Eodem anno quo Marius Priscus fuit damnatus, Plinius illustrem illum Panegyricum habuit, quem unicum e ceteris ejus oratoriis operibus retinuimus, et de quo plura infra dicam. Hic temporis tantum ac loci ratio est habenda. Optimis argumentis confirmavit Th. Mommsen Plinium fuisse cum Cornuto Tertullo consulem designatum anno 100 nona die mensis januarii, ut mos erat. Hæc designatio semper in curia fiebat; nam princeps, ut antiquæ libertatis species servaretur, commendabat modo candidatos suos, iisque suffragationem dabat; senatus autem, tanquam sui judicii compos fuisset, eosdem designabat; in illa die novi consules (de designatis loquor) principem laudare solebant, senatumque rogare ut novi honores ei decernerentur. Plinius contra, quamvis consul designatus, tacuit, ut vel speciem adulationis effugeret; aut saltem (non enim is erat qui omnino in tali tempore taceret) apertissime exposuit, cur novos honores principi decernendos esse non censeret, ne Optimus ille Maximus cum pessimis Cæsaribus, qui avidissime istos honores exspectabant, comparari posset : exquisitum quidem atque inauditum adulationis genus! Non igitur ad illam diem Panegyricus (ut plures fecerunt) referri debet, neque ad renuntiationis tempus, quæ paulo post designationem in campo fiebat, cum comitiorum falso apparatu, voce consulis, qui tunc Trajanus erat, cum Plinius ac Tertullus fuerunt renuntiati.

Iniit magistratum Plinius solum circa decimam septembris diem, neque amplius duobus mensibus retinuit. Tum demum (10 sept. anni 100) Panegyricum in curia habuit[1]; mos enim erat consuli ineunti gratias principi agere : at Plinius non intra pauca verba modo se continuit, sed ex ordine principis virtutes ad cœlum extulit, non tamen illa copia et abundantia quas nunc in libro nobis mirari datur : nam retractavit materiam, cum scripsit, eamdemque spatiosius et uberius volumine est amplexus, adeo ut triduo legerit amicis. Quæ fuerit illa quam in senatu habuerit (utrum coram principe an absente, dubium est) nescimus. Plinius quidem se ad rationem et loci et temporis ex more fuisse profitetur : utinam sic fecerit !

Cum Plinius consulatu exiit, non ideo præfecturam ærarii Saturni deposuit, quam anno 98 inierat. In autumno anni 101, cum in Tuscos paulisper excucurrisset, accepto commeatu[2], legati provinciæ Bæticæ, questuri de proconsulatu Cæcilii Classici, advocatum a senatu petierunt. Factum est senatusconsultum perquam honorificum, « ut Plinius daretur provincialibus patronus, si ab ipso illum impetrassent; » Plinius tandem precibus Bæticorum victus, senatusque benevolentia, annuit illudque verbum, quod præclarissimum judicat, fecit : « Desino, Patres Conscripti, putare me justas excusationes attulisse. » Causa erat facilior ac tutior illa

[1] *Ep*. III, 18.
[2] Cf. *Ep*. III, 4; cf. etiam *Epist. ad Traj*. 8 (secundum Keil), in qua commeatum sibi a principe postulat.

quam pro iisdem Bæticis contra Massam suscepe rat, vel illa quam nuper pro Afris contra Marium Priscum[1]. Decesserat enim Classicus voluntaria morte, ideoque gravissima crimina confirmarat : in socios ministrosque Classici tota actio impendebat. Cum Plinio Lucceius Albinus Bæticis aderat, vir in dicendo copiosus, ornatus, et quem Plinius ardentissime amabat. Ingens et varietate plena causa erat, quæ multa crimina numerosumque reorum agmen complecteretur. Plinius modo accusator, modo patronus, sive de Classici ministris et sociis, sive de ipsa uxore filiaque ageretur, adeo magnam eloquentiæ impensam[2] contra validissimos oratores et in primis Salvium Liberalem fecit, ut ejus industriam, fidem, constantiamque senatus plenissimo testimonio comprobaverit[3].

Usque ad hanc diem in illis capitalibus causis, quæ de peculatu aut de vi coram senatu agebantur, semper provincialibus contra proconsules Plinius adfuerat : mox (anno 103 vel 104, ut putat Mommsen[4]) Julium Bassum proconsulem contra Bithynos defendit. Bassus erat homo clara gente qui multa sub Vespasiano ac Domitiano pericula inierat; ceterum vir « incustoditus nimis et incau-

[1] Ad exemplum tamen pertinentem eam nominat. *Ep.* VI, 29.

[2] In epist. IX, 4. Plinius Macrino suo orationem mittit, quam veretur ne immodica putetur, et sæpe incipere, sæpe desinere videatur. Gesnerius hanc esse in Classicum orationem credit, nec forsitan immerito.

[3] Hæc omnia in epist. III, 9 ex ordine narrantur.

[4] Massonus anno 101 causam Juli Bassi refert (*Vita Plinii minoris*, Amsterdam 1709).

tus, minime malus, » ut ait Plinius. Quem Bithyni, aut potius quidam ex Bithynis, furto ac peculatu insimulabant, ut qui aliqua munuscula ex provincialibus accepisset. Hanc quidem culpam Plinius neque negare poterat, cum Bassus ipse libenter confiteretur, neque excusare audebat, cum id lege expresse vetaretur; in tali difficultate placuit medium quiddam tenere, seque tenuisse speravit. Priore die egit horis tribus et dimidia, posteriore et sesquihora, invenitque « ita erectos animos senatus, ita recentes, ut priore actione incitati magis quam satiati viderentur [1]. » Aderat Basso et Lucceius Albinus, cum quo Plinius nuper Classicum accusaverat. Bene cessit Basso, non tamen omnino quomodo Plinius voluisset : Bassus enim in senatu mansit, salva dignitate, at judices ei dati sunt actaque ejus rescissa, permissumque a senatu jus omnibus de quibus ille aliquid constituisset ex integro agendi, duntaxat per biennium [2]. Eumdem Bassum Mommsen putat fuisse anno 105 consulem, id est paulo post illam accusationem [3]. Errat videlicet; nam parum verisimile est Bassum, qui indulgentia tantum absolutus fuerat (legem enim aperte violaverat), Bassum cujus acta fuerant rescissa, Bassum denique qui jam consul fuerat antequam proconsul fieret apud Bithynos, cuique erat tum « mœsta et squalida

[1] *Ep.* IV, 9
[2] *Ep. ad Traj.* 56, 57 (secundum Keil).
[3] Mommsen (op. cit.), p. 16.

senectus », fasces anno 105 occupasse. De altero quodam Basso agitur.

Contra Bithynos quoque Plinius Rufum Varenum proconsulem defendit anno 105 vel 106[1], quem nuper[2] adversus Bassum advocatum et petierant et acceperant. Inquisitionem Bithyni postulabant; tum Varenus rogavit ut sibi quoque defensionis causa testes evocare liceret. Dixit Plinius pro Vareno, senatusque censuit et accusatoribus et reo quæ peterent tribuenda esse : at, cum Bithyni senatusconsultum criminarentur, princeps ad senatum remisit : iterumque eadem sententia valuit. Tandem, cum, post longum intervallum, res in senatu dijudicaretur, Bithyni accusationem, ut temere inchoatam, omiserunt; retinuere tamen quidam Magnus et aliquot senatores; Pliniusque se in tali die tacuisse valde gloriatur, quia non jam reus Varenus, neque advocato egens videbatur. « Non minus interdum oratorium est tacere, quam dicere[3]. » Causam ad se Trajanus accivit, defendente Polyeno, accusante Magno, atque eo modo censuit : « Neutra pars de mora queretur. Erit enim mihi curæ explorare provinciæ voluntatem. » Finem actionis Plinius nobis nunquam indicavit. Sane effugerat Varenus.

Circa eumdem annum (105 vel 106), si Mommsen

[1] Secundum Th. Mommsen. Massonus autem hanc causam anno 102 addicit.

[2] « Breve tempus a Julio Basso. » *Ep.* V, 20.

[3] *Ep.* VII, 6. — Confer quoque V, 20. — VI, 5, 13, 29. — VII, 10.

credimus, qui Plinii epistolarum libros temporum ordine collatos fuisse æstimat, Plinius dixit apud centumviros pro Atta Viriola, femina splendide nata, viro prætorio nupta, quam exheredaverat octogenarius pater, novercæ amore captus. Sedebant judices centum et octoginta (tot enim quatuor consiliis conscribebantur); numerosa subsellia; densissima circumstantium corona; « magna exspectatio patrum, ait Plinius subridicule, magna filiarum, magna novercarum! » Quæ fuerit oratoris eloquentia, quæ copia, quæ varietas, quæ subtilitas, quæ indignatio, quis dolor, orator ipse abunde nos docuit. « In summa solent quidam ex contubernalibus nostris existimare hanc orationem (iterum dicam) præcipuam, ut inter meas, ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος esse. » Hoc tamen Plinii modestiæ tribuamus, quod *ut inter meas* dixerit[1].

Hæ sunt, quas egit Plinius, graves magnæque causæ; multas vero alias egit, e quibus aliquot nobis memorare licet. Dixit pro Firmanis, nescio utrum in tribunali an in senatu, cum esset curator alvei Tiberis, multisque officiis distringeretur[2], (id est anno 105 vel 106). Dixit pro Vectio Prisco[3] in arena sua, ut ait, hoc est apud centumviros; quamvis enim multas pulchrasque causas in senatu egerit, semper centumvirale tribunal potius habuit,

[1] *Ep.* VI, 23. — Cf. Sidonium Apollinarem : « C. Plinius pro Atta Viriola plus gloriæ de centumvirali suggestu domum retulit, quam cum M. Ulpio, incomparabili principi, comparabilem Panegyricum dixit (*Ep.* VIII, 10).

[2] *Ep.* VI, 18.

[3] *Ep.* VI, 12, anno 105 vel 106.

ubi magis profecto pinguis et florida eloquentia probabatur, et unde nuper cum Atta Viriola multam gloriam retulerat [1]. Dixit quoque pro Clario, quem minime novimus [2]. Dixit pro Corellia contra Cæcilium Strabonem, consulem designatum [3], cujus amicitiam colebat. Dixit et in capitali quadam causa pro falsi ac veneficii reis contra Julium Africanum [4]. Orationem quoque habuerat, in qua patriam (id est Novocomensem) ornaverat et amplificaverat, pariterque et defensioni ejus et gloriæ servierat [5]. Denique, ne ullam omittam, apud municipes in decurionum curia orationem fecerat (tum erat princeps Domitianus), cum bibliothecam patriæ suæ dicaverat, et annuos sumptus in alimenta ingenuorum pollicitus erat [6].

Magnam igitur in dicendo gloriam Plinius consecutus est, atque eximios triumphos, qui suo laudum amori valde lenocinarentur, retulit. Narrat sæpe subsellia, cum diceret, adeo audientibus plena fuisse, ut multitudo circum judices ipsos

[1] In epist. II, 14 acerrime tamen in centumvirales causas invehitur, « parvas et exiles, » ubi « raro incidit vel personarum claritate vel negotii magnitudine insignis ; » ubi « perpauci cum quibus juvet dicere, » multi adolescentuli, clamosi, procaces, temerarii. « Itaque sumus solito rariores, quod initium est desinendi. » Qui toties clamoribus adstantium superbierat, irridet plausus quos in basilica audire licet : « scito eum pessime dicere, qui laudabitur maxime. » Causam sane perdiderat, cum tanta amaritudine scriberet; neque, ut apparet, in basilicam ire desivit.

[2] *Ep.* IX, 28.

[3] *Ep.* IV, 17.

[4] *Ep.* VII, 6.

[5] *Ep.* II, 5.

[6] *Ep.* I, 8.

staret, plerique vix audire, nihil videre cogerentur; vel ipsi adeundi locum, nisi a tribunali, nisi per ipsos judices, non fuisse, tanta stipatione cetera tenebantur! vel quemdam ornatissimum adolescentem, scissis tunicis, ut in frequentia solet fieri, sola velatum toga perstitisse et quidem horis septem![1] vel frequenter evenisse ut centumviri omnes repente quasi victi coactique consurrexerint, landaverintque orantem[2]! Hæc omnia litteris renascentibus referebat, at revera ipse supra modum gloriabatur, summaque ope enitebatur, ut suam famam aleret atque amplificaret.

Non enim illa gloria contentus, quæ dicenti in ipso actionis tempore contingit, stabiliorem et quasi duplicem ac triplicem gustare voluit. Scilicet ea, quæ semel in curia, vel apud centumviros vel apud judices verba fecerat, iterum coram amicis recitabat. Fuit, si non primus, saltem unus inter eos qui primum Romæ orationes suas in publicis recitationibus prodiderunt. Neque ea consuetudo, quam Græci Romam attulerant, sine nonnullorum reprehensione increbuit, qui periculosum, vel otiosum et inutile judicabant iterum dicere, quod semel dictum fuisset. Plinius contra se novi moris defensorem acerrime constituerat, quia multum id proferre ad emendandum stylum putabat. In epistola quam Celeri suo mittit, plane explicat quomodo his recitationibus utatur. « Primum quæ

[1] *Ep.* IV, 16.
[2] *Ep.* IX, 23.

scripsi mecum ipse pertracto; deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado annotanda, notasque eorum, si dubito, cum uno aut rursus aut altero pensito; novissime pluribus recito, ac, si quid mihi credis, tunc acerrime emendo. Optime autem reverentia, pudor, metus judicant... In numero est quoddam magnum collatumque consilium; quibusque singulis judicii parum, omnibus plurimum[1]. » Ad hoc opinionem Pomponii Secundi, tragœdiarum scriptoris, affert, qui « si quid forte familiarior amicus tollendum, ipse retinendum arbitrabatur, dicere solebat : *Provoco ad populum.* » Plinius non ad populum provocabat, sed ad certos electosque amicos. Recte an secus, non est hic locus dijudicandi.

Sic Plinius plerasque orationes, quas habuit, aut amicis adnotandas misit[2], aut coram iis recitavit[3], omnes aut pæne omnes retractavit; simul easdem, quoad conjici potest, adeo adornavit et amplificavit, ut, etiam si in manus nostras scriptæ venissent, Plinium non tam oratorem quam scriptorem haberemus. Testis ille, de quo mox loquar, Panegyricus ; testes illi de ultione Helvidii libelli, quos minime reor similes fuisse orationi quam in Publicium Certum habuerat. Ipse fatetur se ægre quasdam actiunculas, cum rusticaretur in

[1] *Ep.* VII, 17.

[2] Cf. *Ep.* VIII, 3 — IX, 4 — IV, 9. Urso mittit orationem pro Basso *plenam onustamque ;* — I, 8. Pompeio Saturnino aliam emendandam mittit, quam apud municipes de bibliotheca habuit ; — IX, 28, orationem pro Clario mittit uberiorem, quam cum dicta fuit.

[3] De recitatione orationum cf. V, 13, — VII, 17 — III, 18 — IV, 5.

Tuscis, retractasse : « Quod post intercapedinem temporis et frigidum et acerbum est[1].» Sed plerumque gloriæ amore incitabatur, gestiebatque « hominum volitare per ora.» Hanc sui posteriorisque temporis laudem semper accuratissime quæsivit. Jam, Domitiano vivente, primum opus, orationem scilicet, ediderat[2]; usque ad mortem, per intervalla callide disposita suas orationes jamdiu habitas retractavit, et edidit, ut quasi duplici fama frueretur. Sic Titinio Capitoni, quasi illius temporis Mæcenati, scribebat : « Egi magnas et graves causas. Has destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est studii addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est[3]. » Quis fuisset animi angor et mœstitia, si futurum providisset, scivissetque sola nomina orationum, quas pro Atta Viriola vel contra Massam Certumque aut Priscum habuerat, ad nostras aures traditum iri!

At saltem, dum vixit, fama illa, cui tam sedulo consuluerat, omnino est potitus. In epistolis enim Plinium nobis spectare datur oratorem præclarissimum, ad quem audiendum semper confluebat ingens multitudo, quique auctoritate sua parcius utebatur, neque quaslibet causas suscipiebat, sed sæpe veniam advocandi petebat; denique, quem juvenes stipabantur, et, quod cordi dulcissimum

[1] *Ep.* IX, 15.
[2] *Ep.* I, 2.
[3] *Ep.* V, 8.

erat, imitabantur. « Neque enim cuiquam tam clarum statim ingenium est ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat[1]. » Sic Cremutium Rusonem nobilem adolescentem sibi conjungit, ut eum foro ostendat, famæque assignet. Sic diem lætam profitetur, candidissimoque lapillo notandam : nempe, cum judex sederet, vidit et audiit Fuscum Salinatorem et Numidium Quadratum, egregios juvenes, qui ex diverso agebant, enitentes ut Plinium imitarentur; Plinium, ut rectorem, ut magistrum intuebantur; Plinio æmulabantur; Plinii vestigiis instare studebant. Ceterum subjicere sane supervacaneum est « utrique miram probitatem inesse, constantiam salvam, decorum habitum, os planum, vocem virilem, tenacem memoriam, magnum ingenium, judicium æquale[2]. » Nonne omnia hæc in uno verbo continentur : Plinium illi juvenes imitantur[3]?

Hoc denique ostendet quantum nomen in illius temporis oratoribus Plinius habuerit, quod cum Cornelio Tacito, non solum arcta familiaritate, sed etiam quodam gloriæ consortio conjungebatur. Tacitus enim, paulo natu major, jam in dicendo gloriam ante adeptus erat, quam Plinius nobilissimas orationes habuerat; jam studiosorum copia celebrabatur[4], qui ad illum ex ingenii admiratione

[1] *Ep.* VI, 23.
[2] *Ep.* VI, 11.
[3] Cf. *Moy.* (Thèse 1876) *Qualem personam Plinius inter studiosos suæ ætatis egerit.*
[4] *Ep.* IV, 13.

convenerant; jam laudaverat Verginium Rufum (anno 97), ut ait Plinius, eloquentissime[1]. Cum Afrorum causam in Marium Priscum simul susceperunt, tum illorum gloria, quasi inter ambos æquata, simul processit; prior tamen Tacitus, at Plinius posterior non tam longo intervallo; tum amborum nomina iisdem testamentis inscribebantur; tum Plinius hæc Tacito : « Gaudeo quod, si quis de studiis sermo, una nominamur; quod de te loquentibus statim occurro. » Tum eques quidam Romanus, cum in circo prope Tacitum sederet, ejusque varios et eruditos sermones audiisset, interrogabat : « Tacitus es, an Plinius ? » — Hoc Plinii facundiam posteritati maxime commendat.

Sed de Panegyrico, id est de sola oratione, quæ ad nos ex tam multis Plinianæ eloquentiæ monumentis pervenit, pauca mihi dicenda sunt.

[1] *Ep.* II, 1.

II

DE PANEGYRICO QUEM PLINIUS DIXIT TRAJANO [1]

Non est locus altius repetendi quomodo Romani in omni tempore, vel cum, regibus expulsis, civilem rerum statum haberent, laudationibus et panegyricis (qualicumque nomine sit res appellanda) usi fuerint, quibus non communem patriam, sicut Græci, sed virum nominatim extollerent. Illa enim parum sunt pertinentia ad orationem quam Plinius mense septembri anni 100 in curia habuit. Unum tamen hoc animadvertamus, romanum ingenium jam tum ad laudativum genus fuisse pronum, et simul vitia huic generi inhærentia irrepsisse, scilicet adulationem ac mendacium, quibus Cicero hujusmodi scripta referta esse profitetur [2]. Sed tum defuncti, non vivi laudabantur, neque

[1] Cf. Walsch. *Dissertatio de Panegyris veterum*. Iena, 1721. — Thomas. *Essai sur les éloges*. — Cf. quoque exquisitum de *Panegyrico* libellum, quem noster condiscipulus René Grousset, nuper litteris præreptus, reliquit (*Œuvres posthumes de René Grousset*. Hachette 1886, pp. 205-231).

[2] *Brutus*, 61, 62.

mos increbuerat palam, in accurata oratione, civem aliquem, vel præclarissimum, laudibus efferre : nisi forte Panegyricos appellare debemus, quas Tullius pro lege Manilia, vel pro Marcello orationes habuit, in quibus Pompeii et Cæsaris virtutes abunde prædicantur.

Sub principibus præsertim floruere laudationes; cum enim, libertate amissa, respublica in unius potestatem devenit, consenuit paulum illa, quæ in foro, aut in senatu, aut etiam apud judices versabatur eloquentia, demonstrativumque genus (quod Græci ἐπιδεικτικόν appellant) ceteris præstitit. Tunc philosophi in *consolationibus* mulcebant orborum dolorem, mortuosque omni laude cumulabant; tum rhetorum scholæ *laudationibus* vel *vituperationibus* strepebant, in quibus adolescentium industria exercebatur. Si erga mortuos pietatem pro laudibus quæ illis tribuuntur æstimare debemus, mira fuit in defunctos observantia Roma sub Cæsaribus. Sed non desideria solum ex corde viventium laudes expromebant; sæpius ille, qui dabat, petebat, ideoque defunctum inter deos locabat, ut ipsi vivo aliqua pars illius immortalitatis communicaretur. Sic Augustum et Drusum Tiberius, sic Tiberium Caligula, sic Claudium Poppæamque Nero laudasse dicuntur. Quod ad illas laudationes attinet, quæ Thraseæ et Helvidii scriptæ sunt, prævalebat cupido non solum Thraseam et Helvidium ornandi, sed et illorum virtutum commemoratione tyrannos lacessendi, bonorumque civium animos erigendi : magni enim ad

exemplum referebat Priscum a Senecione, Verginium Rufum et Agricolam a Tacito laudari. Hujusmodi sane fuit libellus quem Plinius noster de vita Vestricii Cotti composuit[1].

Sed non satis erat, ut in tali tempore, mortuos prædicare, neque contentus erat princeps, qui priorem principem ad cœlum tulerat, si non et sibi eadem gloria frui vivo liceret. Itaque in consuetudinem venerat, qualiscumque in senatu res ageretur, quoties seu de ampliando numero gladiatorum, seu de instituendo collegio fabrorum consulebatur, omnem orationem in imperatoris laudationem vertere. « Nihil tam vulgare, ait Plinius, tam parvum in senatu agebatur, ut non laudibus principum immorarentur, quibuscumque censendi necessitas accidisset[2]. » Quin etiam in arenis et in theatris panegyrici sese audientibus offerebant. « Ecquis jam locus miseræ adulationis manebat ignarus, cum laudes imperatorum ludis etiam et commissionibus celebrarentur, saltarenturque, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? Sed illud indignum, quod eodem tempore in senatu et in scena ab histrione et a consule laudabantur[3]. » Antequam igitur Plinius Panegyricum scripsisset, permulti consules, ne dicam omnes, Cæsarem præsentem vel absentem laudaverant, sed non funditus, ut apparet; plerumque censebant, ut aurata vel eburnea statua in

[1] *Ep.* III, 10.
[2] *Pan.* 54.
[3] *Ibid.*

æde poneretur, vel ut nomini Cæsaris aliquis mensis dicaretur; sed nemo, credo, antea imperatorem accurata oratione laudaverat, neque virtutes ejus singillatim et ex ordine prædicaverat : difficile enim fuisset non in suspicionem satiræ incidere, si quis in Domitiani pulchra indole diutius commoratus esset. Plinius autem, qui die designationis nullum Trajano honorem petierat, præteritum silentium, cum magistratum inivit, fusissima laudatione pensavisse videtur, neque se in nuda gratiarum actione, ut mos erat, continuit.

Hæc est Panegyrici origo : ne tamen obliviscamur orationem, quam Plinius consul in senatu habuit, non fuisse scriptam ab auctore, neque ullo modo nobis notam esse, nisi ex his verbis, quæ in epistola ad Carium Severum invenimus. « Officium consulatus injunxit mihi ut rei publicæ nomine principi gratias agerem. Quod ego in senatu cum ad rationem loci et temporis ex more fecissem... etc.[1] » Quem autem in manu habemus, Panegyricum Plinius aliquot post menses, cum magistratu exisset, id est anno 101, tractavit, non jam in curia coramque principe dicendum, sed in auditorio recitandum. Satis notum est quomodo Plinii amici « non per codicillos, non per libellos, sed *si commodum* et *si valde vacaret* admoniti, fœdissimis insuper tempestatibus », per biduum convenerint, cumque modestia lectoris finem recitationi facere voluisset, ut adjiceret tertiam diem exege-

[1] *Ep.* III, 18.

rint[1]. Itaque omnem Plinii eloquentiam ex Panegyrico æstimare, et, quæ bona vel mala in hac oratione videantur, eadem ceteris Plinii orationibus inesse putare, non satis justum foret. Quæ nos maxime in Panegyrico hodie offendunt, nimiam subtilitatem, effusiorem in verbis cultum, putidam in sententiis et in stylo affectationem, si nos in senatu Plinium pro Bæticis aut pro Afris agentem, vel eumdem illum principi Panegyricum dicentem audivissemus, rariora forsitan et tenuiora ac multo facilius ferenda invenissemus. Quippe est aliud veram causam habere, et linguam pro tempore et loco, ut Plinii verba usurpem, audientibus accommodare, aliud fictam orationem et frigidam, aut, longo post tempore, vix e cinere redivivam refotamque benevolis amicis afferre; neque debemus, quidquid in Panegyrico peccatur, id Plinianæ eloquentiæ criminari.

Ne tamen eam omni culpæ suspicione liberemus, cum sit compertum nihil magis illius temporis oratoribus nocuisse quam recitationes. Simplicior sane, et pressior fuit Plinius mense septembri anni 100, cum in curia Trajanum laudavit, quam post aliquot menses, cum Panegyricum recitavit; putidior tamen fuit et pejor, quam si nunquam antea recitavisset, neque fuisset aliquando recitaturus. Etenim, sicut ceteri ejusdem ætatis scriptores, adeo istis recitationibus allectus est, ut summam artem crederet, si placuisset iis quos

[1] *Ep.* III, 18.

vocaverat ; et quæ, potissimum illi probabant, ea, facilioris gloriæ cupidus, diligentissime excolebat et sectabatur, non solum in auditoriis, sed et in foro, in judiciis, in medio senatu. Itaque Panegyricum quem recitavit, etsi spatiosior et uberior fuit, non tamen omnino dissimilem fuisse ab illa gratiarum actione, quam habuit, credimus. Quem si attentius recognoscemus, paulo severius forte de Plinii eloquentia judicium, non tamen omnino falsum inconsultumque faciemus.

Nec mihi in animo est de Panegyrico plene disputare, omnesque ejus partes penitus introspicere ; nimis enim extra hujus materiæ terminum raperer, quæ nihil aliud quam Plinii minoris eloquentiam amplectitur. Quomodo Trajanum Plinius laudaverit, veræne fuerint an fucatæ illæ virtutes, quibus principem abunde ornavit, quid de principatu ipso novoque rerum ordine senserit, denique, quidquid historiam spectat, haudquaquam attingam[1]. Quod ad Plinii mores pertinet, id est illam gloriæ nimiam cupiditatem, sempiternam illam erga principem et seipsum benevolentiam, illa omnia lenocinia quibus Plinius semper valde placebit idemque paululum legentium animos irritabit, de hoc paucissima loquar, ut antea dicta, magisque fortasse ad cavillandum, quam ad judicandum invitantia. Equidem in Panegyrico

[1] Cf. de hoc J. Dierauer, *Beitræge zu einer kritischen Geschichte Trajan's,* dans Büdinger (1868) ; et in primis C. de la Berge, *Essai sur le règne de Trajan* (Biblioth. des Hautes Études, 32e fascicule, 1887).

tantum perspicere conabor, qualis Plinius orator fuerit, quomodo, ut veteres rhetoricæ divisiones usurpem, in inventione, in dispositione, in elocutione præcepta magistrorum ac præsertim Quintiliani fuerit exsecutus, deinde ex quali verborum artificio nata sit illa, de qua nunc agitur, eloquentia.

In demonstrativo genere, præsertim in panegyrico, haud magnam partem inventioni relinqui necesse est : nam propemodum argumentis non opus est, cum non voluntates hominum flectere et quo velit ducere orator conetur ; neque opus est multo dolore, quo animi perturbentur, cum tantum ad audientium voluptatem omnia pertineant. In moribus autem summa diligentia est adhibenda ; neque enim magna res agitur neque capitalis ; non est reus quem perdere vel defendere debeamus, non judices quos flectere, non senatus quem impellere. Homo tantum ab homine laudatur ; totusque laudantis animus in hoc intendetur, ut proprias laudatoque accommodatas laudes inveniat. In primis necesse est parcere mollissimis auribus, laudemque solerter in intima audientis præcordia insinuare, non intemperanter immodicam proferre, quæ ruborem ori suffundat. In hoc tamen Plinius, quanquam multum acumen ingenii haberet, neque de ejus honesto civilique sensu dubitare possimus, omnino errasse et peccasse videtur. Quid dixerit in senatu, nescimus ; quæ vero scripsit dicavitque Trajano, nosque hodie legimus , minime congruentia, neque principi

ferenda judicamus. Quanquam se vel a specie adulationis [1] abhorruisse, neque se ut deo, ut numini blanditurum profitetur, quid de illis laudibus sentiamus, quibus Trajanus soli iterum atque iterum comparatur, atque in hoc tantum mundi parente differre dicitur, quod Jupiter cœlo, princeps terris eadem divina mente vacat [2] ? Quid, cum laudator omnes principis virtutes quasi ab ovo celebrat, neque per centum circiter capita desinit extollere ? Quid, cum ultima pudoris imperatorii munimenta perrumpit, laudatque ipsam, qua laudes accipiuntur, verecundiam ? « Vidimus humescentes oculos tuos, demissumque gaudio vultum, tantumque sanguinis in ore, quantum in animo pudoris [3] ! » Pravusne fuerit adulator Plinius, an candidus, vel etiam candidior panegyrista ? Quidquid id est, orationem magis audientium, quibus recitavit, quam optimi principis moribus videtur accommodasse.

Ne tamen nimia severitate illud Panegyrici vitium æstimemus. In hac perpetua Trajani laudatione, quæ nos hodie offendit, parumque illo, qui omnium consensu Optimus vocabatur, digna nobis videtur, ne immodicam adulandi cupidinem spectemus, sed potius boni civis alacritatem spemque

[1] *Pan.* 1.
[2] *Pan.* 35, 80 : « Talia esse crediderim quæ ipse mundi parens temperat nutu, si quando oculo demisit in terras, et facta mortalium inter divina opera numerare dignatus est ; qua nunc parte liber solutusque, cœlo tantum vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungeretur. »
[3] *Pan.* 73.

in futurum. Rectissime de Panegyrico dixit C. de la Berge, hunc non tam Panegyricum esse, quam quod nunc appellatur *Adresse,* ubi principis potestas voluntate votisque subjectorum paululum temperatur[1]. Plinius scilicet non solum Trajanum laudibus extollit, sed ostendit simul futuris principibus, quæ vitare debeant, ne memoriam eorum publicæ exsecrationes prosequantur, quæ gerere, ut laudibus consocientur, quibus Trajanum posteritas cumulabit ; sic enim senatusconsultum interpretatur, qui jubebat gratias principi a consule esse agendas : « Ex utilitate publica placuit, ut, consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes quæ fecerunt recognoscerent, mali quæ facere deberent[2]. » Neque in toto opere Trajanum ideo laudare videtur, uti Trajanus laudetur, sed etiam uti venturi principes sciant quomodo velit respublica administrari, favorque popularis conciliari, immo hercule, ut ipse Trajanus in virtutibus nunquam desinat perseverare. Quod si hinc Panegyricum prospiciemus, minus fastidiosum, magisque proposito accommodatum judicabimus. Vel cum blanditiis, quibus sæpius inficitur, non tanquam servi ad obsequium parati opus, sed potius civis, patriæ suæ bonos imperatores optantis, apparet.

Jam tum, ut ad rhetoricæ verba redeam, et de inventione Panegyrici loquar, uberrima materia sese ultro offerebat, quam opus erat non argu-

[1] C. de la Berge (op. cit.), 252.
[2] *Pan.* 4; cf. etiam 53.

mentis fulcire, cum orator non dubiam causam ageret, tantumque animos docere ac permulcere vellet, sed ex integro tractare, promiscue sineque ullo delectu. In hoc tantum Plinio enitendum erat, ut omnes virtutes, quas perfecto principi inesse secum fingeret, has Trajano apte transferret et accommodaret, et præterea in omnibus Trajani factis dictisque illarum virtutum fructum retegeret, et quasi enuclearet. In hoc præsertim rhetorum atque Quintiliani discipulus nimis forte excelluit.

Scholastici docebant in causis utendum esse argumentis extra causam petitis, omninoque oratoris ingenio excogitatis, modo et personæ, et loco, et tempori congruerent, credibilemque rationem et ordinem haberent[1]. Licebat nempe oratori his *coloribus* res, non dico negare, sed interpretari, veritatem, non dico obruere, sed velare ac fucari. Mirum scilicet instrumentum in quaslibet causas agendas, atque etiam in mentiendum! Non quidem magni pretii erat in Panegyrico uti coloribus, cum nullius rei vita, vel libertas ageretur : itaque Plinius, vir probissimus, idemque dicendi peritissimus, eas in oratione adhibere minime dubitavit. Oportebat enim, quodcumque fecerat Trajanus, quodcumque illi inerat, in laudem vertere : facillimum quidem erat, cum de victoriis vel de spectatissimis ejus virtutibus loqueretur orator; difficilius

[1] De coloribus cf. Quintilianum. *Inst. Orat.* IV, 2, 88 sqq. et passim.

vero, cum sermo esset, non dico de vitiis, neque de factis reprehendendis, sed de levioribus rebus, et, ut ita dicam, indifferentibus, quæ neque laudem, neque vituperationem ferrent : tum in coloribus excogitandis omne Plinii ingenium elaboravit. Sic seditionem, qua Nerva fuit obsessus captusque, excusat, quia ex illa Trajanus fuerit in imperii consortium advocatus. « Si hæc sola erat ratio, quæ te publicæ salutis gubernaculis admoveret, prope est ut exclamem tanti fuisse! Corrupta est disciplina castrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres...[1] » Sic mortem ipsam Nervæ Cæsaris mire quidem ad Trajani laudem convertit; immo sibi gratulatur quod Nervam patrem tam cito inter immortales dii adsciverint : « Nervam dii cœlo vindicaverunt, ne quid, post illud divinum et immortale factum, mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, ut novissimum esset, auctoremque ejus statim consecrandum[2]! » Trajanum quoque laudat et propter virtutes quas habet, et propter vitia quibus caret. Laudat quod venatur, quod horrentibus scopulis gradum infert, quod natat, quod remis utitur[3], quod illi Plotina est uxor (« mariti hoc opus! »)[4], quod Martiana soror[5]; laudat et quod nullam crudelitatem habet[6], quod non diu in cœna manet (nam est fru-

[1] *Pan.* 6.
[2] *Id.* 10.
[3] *Id.* 81.
[4] *Id.* 83.
[5] *Id.* 84.
[6] *Id.* 28.

galitas), quod idem nonnunquam manet (nam est humanitas erga convivas), quod non ructatur[1], quod non omne suum videt, bonaque aliena sibi non rapit[2]. Laudat etiam quod illi crines albescunt; « nec sine quodam munere deum festinatis senec« tutis insignibus ad augendam majestatem ornata « cæsaries[3] » ; si de Domitiani canitie vel calvitie agendum fuisset, sane dixisset deos in caput imperatoris stigmata luxuriæ impressisse; nam in utramque partem excogitari potest color. Quapropter sæpissime fit, ut Plinius non modo hoc aut illud in Trajano laudet, sed etiam contraria interque se pugnantia pariter extollat sub diversis coloribus. « Initium laboris mirer an finem[4] ?... Gestumne consulatum mirer an non receptum[5]?... Nescio pulchriusne sit istud quod, præeunte nullo, an hoc quod, alio præeunte, jurasti[6]... » Utrumque Plinius æque miratur, duplicemque laudem, non unam, ex uno loco expromit. Adeo didicerat quamlibet causam probabilibus argumentis defendere!

Alteram e schola consuetudinem duxerat, id est uti illis sententiis quas Græci γνώμας appellabant. In Quintiliano legimus : « Est autem hæc vox « universalis, quæ etiam citra complexum causæ « possit esse laudabilis, interim ad rem tantum

[1] *Pan*. 49.
[2] *Id*. 50.
[3] *Id*. 4.
[4] *Id*. 14.
[5] *Id*. 56.
[6] *Id*. 64.

« relata, interim ad personam.... Hanc quidem « partem enthymematis, quidam initium aut clau- « sulam epicherematis dixerunt... Sunt etiam qui « decem genera fecerint, sed eo modo, quo fieri « vel plura possunt; per interrogationem, per « comparationem, infitiationem, similitudinem, « admirationem, et cetera hujus modi; per omnes « enim figuras tractari potest...[1] » Hoc quidem sententiarum genus veteres oratores noverant, mediocriter tamen usurpaverant, cum illas non inconsulte in placendum, sed prudentissime ad probandum modo in orationibus ponerent. At cum eloquentia in artificiis præceptisque tota se continuit, multo crebrior usus fuit illarum γνώμων, quibus scholastici suasorias vel controversias quasi luminibus facile adornare solebant : has enim in promptu semper habebant, mireque aptas ad quamlibet opinionem confirmandam vel refellendam, ad quemlibet hominem laudandum vel vituperandum. Sic philosophia, quam Tullius magistram eloquentiæ esse præceperat, jam non orationi quasi animam dabat singularemque gravitatem infundebat, sed in pessimos usus adhibebatur, et captiosa argumenta præbebat; ex illa quisque plurimas rationes promebat, aut falsas aut dubias, sed quæ semper, sub specie vocis generalis, probabiles primo adspectu videbantur.

Pauca exempla e Panegyrico afferam. Trajanumne Plinius cupit laudare, quod benignum erga

[1] *Instit. Orat.* VIII, v, 3-5.

omnes se præstat? Hanc γνώμην statim adhibet, qua laus amplificetur : « Facilius est unum amare, quam multos[1]. » Si Trajanus plebem despexisset, unumque aut alterum dilexisset, nonne Plinius hanc contrariam neque minus probabilem sententiam attulisset : « Facilius est multos amare quam unum? » — Cum de Suburano loquitur, quem Trajanus prætorii præfectum dimiserat, si non in exsilium, saltem in longinquum recessum, Cæsarem nobis fingit stantem in littore, mariaque amico precantem, Suburanum autem constanti animo exeuntem, atque hæc subjicit : « Nec dubito quin agitaverit secum an gubernacula retorqueret; et fecisset, nisi quod pæne ipso contubernio principis felicius jucundiusque est desiderare principem desiderantem[2]. » — Quid de ceteris γνώμαις, quas sparsas in toto opere invenimus? « Difficilius est imperium partiri, quam deponere[3]. — Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus[4]. — Nunquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit[5]. — Est demum vera felicitas, felicitate dignum videri[6]. — Magnum est differre honorem, gloriam magis[7]. — Præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt[8]. — Est magnificum quod te ab

[1] *Pan.* 85.
[2] *Id.* 86.
[3] *Id.* 8.
[4] *Id.* 7.
[5] *Id.* 66.
[6] *Id.* 74.
[7] *Id.* 56.
[8] *Id.* 44.

omni contagione vitiorum reprimis ac revocas, sed magnificentius quod tuos[1]. » Hæc omnia hisque similia haudquaquam veriora sunt quam falsiora; rei, de qua agitur, non veritati accommodantur. Nonnulla etiam tanquam palam falsa apparent : « Habet hoc primum magna fortuna quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur[2]. » — Alia tam arguta ac subtilia sunt ut vix intelligi possint : speciem sententiæ præbent, sed, si penitus perspexeris, nihil aut prope nihil sub verbis invenies : « Nemo omnes, neminem omnes fefellerunt[3]. — Hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere[4]. » — Alia contra vulgaria et nimis trita, atque etiam candidiora Plinius adhibere non dedignatur, quibus stylum tanquam inutili ornamento illustret. « Ut ceterorum hominum, ita principum, illorum etiam qui dii sibi videntur, ævum omne et breve et fragile est[5]. — Cœlo nunquam benignitas tanta ut omnes simul terras ubertet foveatque[6]. — Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur[7]. » Operæ pretium non erat Euphraten philosophum, sublimitate sermonis et ingentis barbæ canitie præstantem, in Syria audisse !

Postremo, ut paucis antea dicta concludam,

[1] *Pan.* 83.
[2] *Ibid.*
[3] *Id.* 61.
[4] *Id.* 49.
[5] *Id.* 78.
[6] *Id.* 32.
[7] *Id.* 5

γνώμαις, quas Græci docebant, seu dubiis, seu veris, seu etiam falsis abunde Plinius in Panegyrico usus est, ita ut potius ad ornandum quam ad probandum sæpissime eas expresserit, neque omnino periculum effugerit, quod Quintilianus discipulis suis provida mente monstraverat : « In hoc genere custodiendum est id, quod ubique, ne crebræ sint (γνώμαι), ne palam falsæ, quales frequenter ab iis dicuntur, qui hæc catholica vocant, et, quidquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronuntiant[1]. » Addemus etiam : « ne evidentiores sint, omninoque inutiles. »

E paucis illis, quæ attulimus, exemplis satis apparet quomodo Plinius inventionem, quæ in pristinæ eloquentiæ institutione locum præcipuum obtinebat, tractaverit. Totam aut pæne totam in coloribus, in locis communibus, et in γνώμαις inclusit. Nec jam quærebatur unde orationis materies amplificaretur, et probabilia argumenta vel exquisitæ cogitationes arcesserentur, sed quomodo tritæ veteresque sententiæ inaudito styli apparatu illustrarentur. Non tam verba ex sensis, quam sensa ex verbis promere Plinius ita assuevit, ut inventionem in elocutionem paulum diverterit. Quod si hujus novæ eloquentiæ deteriores fructus perspicere cupiamus, Frontonem interrogemus, qui paulo post Marcum adolescentem in oratoria arte erudiet; in illo nempe videbimus imagines pro sensis, comparationem pro ratione sæpissime

[1] *Instit. Orat.* VIII, v, 7.

adhiberi[1]. Non, hercule, tantum vitium in Plinio reprehendam, qui propior est Cicerone ceterisque bonis oratoribus; initium tamen atque originem illius vitii apud illum introspicere datur[2]. Necesse enim erat in laudativo genere totam operam in verborum et figurarum indagatione impendi, cum materies pæne nullum inventioni locum sineret, sed ita uber oratori pateret, ut ex illa tantum haurire, sine delectu, liceret. « In hoc libro, ut scribit Plinius, consideres velim ut pulchritudinem materiæ, ita difficultatem. In ceteris enim lectorem novitas ipsa intentum habet; in hac nota, vulgata, dicta sunt omnia : quo fit ut quasi otiosus securusque lector tantum elocutioni vacet...[3] » Ne igitur diutius in inventione Panegyrici commoremur.

In dispositione magis Plinius se elaboravisse profitetur. « Utinam, exclamat, ordo saltem, et transitus, et figuræ simul spectarentur ! Nam invenire præclare, enuntiare magnifice interdum etiam barbari solent : disponere apte, figurare varie, nisi eruditis negatum est. » Quod ad figuras, id est ad elocutionem, pertinet, hic debeo negligere : de dispositione tantum dicam.

Quintilianus præceperat duas esse vias ad ho-

[1] Cf. *de M. Cornelii Frontonis Institutione Oratoria*. E. Droz (Vesuntione, 1886), apud quem optime et ingeniosissime hæc explicantur.

[2] Cf. *Pan*. 5. « Ac sicut maris cœlique temperiem turbines tempestatesque commendant, ita ad augendam pacis tuæ gratiam, illum tumultum præcessisse crediderim. » Sic excusatur motus castrensis qui Nervam ad adoptandum Trajanum impulit.

[3] *Ep*. III, 13.

minem laudandum. « Namque alias ætatis gradus « gestarumque rerum ordinem sequi speciosius « fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum « disciplinæ, post hoc operum, id est factorum « dictorumque contextus ; alias in species virtu- « tum dividere laudem fortitudinis, justitiæ, con- « tinentiæ, ceterarumque, ac singulis assignare, « quæ secundum quamque earum gesta erunt[1]. » Quarum viarum altera potius historiarum scriptores decet, altera oratores. Attamen Evagoran Isocrates factorum commemoratione laudavit. Augustum contra Suetonius, non ex ordine temporum, sed singularum virtutum recognitione; (simili modo Pompeium Tullius in *Pro lege Manilia,* Condæum Bossuetius in funebri oratione celebravere). Utram viam Plinius fuerit exsecutus, difficile est dicere; nam utramque, quoad potuit, usurpavit. Cum sibi proposuerit principem laudare, non principis facta[2], temporum ordinem negligere, ut videtur, solamque virtutum enumerationem facere debuisset : sed timebat, ne oratio longior videretur, atque uno tenore laudandi tædium afferret. Itaque materiæ aliquam varietatem callide infudit, ambosque modos miscuit. Temporum seriem tuetur, non adeo tamen ut Panegyricum ab incunabulis Trajani ordiatur, sed principem ab illa die, qua ad exercitum profectus est, sequitur usque ad tertium illum consulatum quem anno 100 inivit :

[1] *Inst. Orat.* III, VII, 15.
[2] *Pan.* 56.

narrat ex ordine adoptionem, qua particeps imperii a Nerva factus est, narrat bella Germaniæ, quomodo Romam novus Cæsar intraverit, quæ beneficia in rempublicam et in privatos contulerit, quos magistratus exercuerit vel abnuerit. Simul singulas virtutes principis in loco extollit, nunc fortitudinem, nunc benevolentiam, comes animos et hilares, simplicitatem, temperantiam, tanta ubertate atque luxuria, ut omnem Trajanum iterum atque iterum tanquam ex integro laudare videatur, neque unum Panegyricum fecisse[1].

Quod si hujus dispositionis contextum admiserimus, omnes partes operis mire inter se congruentes inveniemus. Non enim is est Plinius, qui stylum vagari sine lege sinat, diutiusque in aliqua parte, altera omissa, moretur; copiose omnia et cumulate, et, ut ita dicam, funditus pertractat, neque ullam principis virtutem, neque ullum factum in umbra parum exploratum relinquit; nihil nobis remittit, sed eamdem sententiam decies versat variisque formis adornat, antequam sequentem aggrediatur; cum æque diffusa sint omnia, omnia inter se aptata omninoque convenientia consentiunt.

In transitionum delectu præcipuam diligentiam scriptor adhibuit, sperabatque fore ut a legentibus spectarentur : quas hodie nos nimis apparatas,

[1] Hoc tamen periculum Plinius prospexisse videtur, ut ex his verbis apparet : « Neque enim, ut in sterili jejunaque materia, eamdem speciem laudis diducere, ac spargere, atque identidem tractare debemus. » (*Pan.* 56).

nimis elaboratas, paulumque inconcinnas plerumque judicamus. Hujusmodi enim sunt : « Hæc laus acti consulatus, illa dilati[1]. — Aliud ex alio mihi occurrit[2]. — Alio me vocat numerosa gloria tua[3]; » vel, ut a Trajano ad Trajani legatos transeat : « Hæc est natura sideribus ut parva et exilia validiorum exortus obscuret; similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur[4]; » vel transitionem e schemate, quod rhetores πρόληψιν appellant, mutuatur : « At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium, cohibes : immo tanto majore.....[5] » Illa sane illisque similia valde comprobaverunt eruditi viri, quibus Plinius Panegyricum recitabat, forsanque exclamaverunt : Pulchre! bene! recte! Nos autem irritat illa perpetua scriptoris diligentia, qua legentem tanquam manu introducit in diversas orationis partes, neque sinit interdum transitionem intus in animo supplere. Quare Horatii versus menti nostræ, quoties Panegyricum legimus, semper subvenit :

In vitium ducit culpæ fuga.....

Hanc tamen libri sui nimiam æqualitatem, nimisque perfectam dispositionem Plinius variare voluit, læta interdum severioribus miscendo, id est, aliquas egressiones amœnas perpetuæ princi-

[1] *Pan*. 57.
[2] *Id*. 18.
[3] *Id*. 28.
[4] *Id*. 19.
[5] *Id*. 36.

pis laudi intexendo. Hæc enim præceperat Quintilianus de florido genere (id est ἀνθηρῷ), quod Plinius affectaverat : « . . . et translationibus crebrior, « et figuris erit jucundior, *egressionibus amœnus,* « compositione aptus, sententiis dulcis, lenior « tamen ut amnis lucidus quidem sed virentibus « utrinque ripis inumbratus[1]. » Quas Plinius in oratione inseruit, egressiones non quidem a proposito declinant, neque intempestivæ videntur : scilicet agitur de Ægypto, quam Trajanus inopem annonæ commeatu sustentaverat, de delatoribus, quos Roma ad longinquas terras depulerat, de Domitiani crudeli ac suspiciosa indole, quæ cum humanis mitibusque novi principis moribus omnino discrepabat. Sed quamvis materiæ hæreant, sunt tamen in oratione loci definiti, in quibus omne ingenii acumen, omnes styli flores et ληκύθους scriptor effudit : de quibus perpauca hic loquar, cum ad elocutionem magis pertineant. Dicam tamen illos, quasi gemmas, inter ceteri operis fastidiosum tenorem lucere, et illis, si non severiorum rerum pulchritudo inveniatur, lætissimarum saltem et concinnarum gratiam inesse; immo, haud procul abest quin vitia quoque ibi nobis placeant : adeo amabilia grataque ea scriptor præstitit! De Ægypto egressio minus placebit, ut putida, pessimisque ornamentis referta ; sed cum Plinius nobis ante oculos objicit « delatorum supina ora retortasque cervices, » navigia fluctibus iratis et sco-

[1] *Instit. Orat.* XII, x, 60.

pulis credita, ovansque exclamat : « Agnoscebamus et fruebamur, » fruimur nos quoque illa eloquentia, etsi paulum rhetoris scholam redolet: nam in illa et pectus oratoris, non ingenium solum agnoscimus, ideoque inter longiores et fastidiosas principis laudes illa pagina valde recreamur. Sed hujusmodi plures in Panegyrico, præsertim in posteriore parte, optaremus [1].

Elocutioni maximam operam se impendisse Plinius ipse profitetur, neque nos ibimus infitias. In hoc quoque diligentissime Quintiliani magistri præcepta exsequitur, qui de demonstrativo genere dixerat : « Illud genus, ostentationi compositum, « solam petit audientium voluptatem, ideoque om- « nes dicendi artes aperit, ornatumque orationis « exponit..... Quidquid erit sententiis populare, « verbis nitidum, figuris jucundum, translationi- « bus magnificum, compositione elaboratum, velut « institor quidam eloquentiæ intuendum ac pæne « pertractandum dabit; nam eventus ad ipsum, « non ad causam, refertur [2]. » Et illud : « In iis ac- « tionibus, quæ in aliqua sine dubio veritate « versantur, sed sunt ad popularem aptatæ de- « lectationem, quales legimus panegyricos . . ., « permittitur adhibere plus cultus, omnemque « artem, quæ latere plerumque in judiciis debet, « non confiteri modo, sed ostentare etiam homini- « bus in hoc advocatis [3]. » Periculosa quidem, et

[1] *Pan.* 34, 35.
[2] *Instit. Orat.* VIII, III, 11.
[3] *Id.* II, X, 11.

quæ pessimos fructus datura sint, consilia : nam illa permissione, quam nimis liberaliter rhetor discipulis concedebat, fuere qui sint abusi; eorumque in numerum Plinium forsitan adscribemus. Ornamenta enim, non intuenda modo, sed pertractanda, ut mercaturam institor, dedit, neque in oratione adhibuit, ut cogitationibus tanquam flos superadderetur, sed ut pro cogitationibus ipsis æstimarentur, omnemque legentium animum traherent. Emendate enim ac lucide dicentium, ut Quintiliani semper verba usurpem, tenue præmium arbitrabatur, magisque ut vitiis carere, quam ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris[1]; neque contentus erat simplici ac naturali dictione. Itaque elocutioni tam accurate in Panegyrico incubuit, ut totam orationem in stylo constare haud immerito putemus.

Quomodo vero materies Panegyrici ornari potuit? Quam plurimas figuras, id est græce σχήματα fingendo. Quibus figuris Plinius Panegyricum illustraverit, non quidem tentabo ex ordine recensere, neque illas omnes propriis barbarisque nominibus notare. Hoc tamen verborum artificium nonnullis exemplis perspiciemus. Nullam figuram crebrius quam antitheton noster in oratione adhibuit, adeo ut sensa fere nunquam simpliciter, sed plerumque contraria contrariis opponendo exprimeret. Quod si unam quamlibet libri paginam legemus, in illa non duo vel tria, sed decem forsitan

[1] *Instit. Orat.* VIII, III, 1.

ἀντίθετα inveniemus. Sic cum de adoptione Trajani agitur : « Ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti..... Communicato imperio sollicitior tu, ille securior factus est..... Suscepisti imperium, postquam alium suscepti pœnitebat..... Dignus alter eligi, alter eligere[1]..... Nerva tibi terras, te terris reliquit[2]. » Omnia hæc simplicia nudaque satis intellexissemus, quæ inutili ornamento Plinius vestivit, quo magis placerent. Alias antitheton non in stylo modo, sed et in ipsa cogitatione insidet; aut potius scriptor videtur ideo subtiliter excogitasse, ut verba verbis inaudita comparatione opponeret. Quapropter implicitum contortumque sensum vix ex illa verborum collisione extrahere possumus. « Non ideo vicisse videris ut triumphares, sed triumphare quia vicisti[3]. — Multum est quod perseverasti, plus tamen quod non timuisti ne perseverare non posses[4]. — Ad principatum obsequio pervenisti, nihilque magis a te subjecti animo factum est, quam quod imperare cœpisti[5]. — Hostes....., leges ut acciperent, dabant[6]. — Soli omnium contigit tibi, ut pater patriæ esses antequam fieres[7]. — Alii consulatum antequam acciperent, tu et dum accipis meruisti[8]. » Totidem sunt paradoxa, ne dicam

[1] *Pan.* 6, 7.
[2] *Id.* 10.
[3] *Id.* 17.
[4] *Id.* 14.
[5] *Id.* 8.
[6] *Id.* 11.
[7] *Id.* 21.
[8] *Id.* 54.

ænigmata, quæ recitator adsistentibus explicanda et aperienda proponit; et, quo magis acutum in inveniendo ingenium Plinius ostenderit, eo magis audientium laudabitur perspicacitas qui ex illo verborum labyrintho exierint. Ceterum, longius sit omnes argutias, quæ in Panegyrico nos hodie offendunt, enumerare; quæ interdum non modo subtilitatem scriptoris, sed et putidum depravatumque judicium detegunt. Duo tantum exempla afferam, ut inter pessima. Cum Trajano gratulatur, quod pedibus quamvis imperator incedit, hæc adjicit : « Te ad sidera tollit humus ista communis et confusa principis vestigia[1]; » vel cum de primo principis consulatu loquitur, exclamat : « Candidatus (eras), non consulatus tantum, sed immortalitatis et gloriæ, et exempli quod sequerentur boni principes, mali mirarentur[2]. » Difficile est ambitiosius dicere; multoque anteponimus Tullianos jocos et *jus verrinum* istis Plinianis phaleris[3].

Ceteras figuras omitto, quibus Panegyricus abundat, tanquam interrogationes, vel crebras exclamationes : « Quæ gravitas sententiarum ! Quam

[1] *Pan.* 24.
[2] *Id.* 63.
[3] Quantum enim Plinius a Tullio distet, facile perspici potest é quodam Panegyrici loco, in quo Plinius Tullium imitatur. Cicero, in *Pro Marcello* II, 5, dixerat : « Nec vero disjunctissimas terras citius quam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis lustratæ sunt. » In Panegyrico autem legimus : « Orbem terrarum non pedibus magis quam laudibus peragrabas. » Tantum distat Plinius a Tullio, quantum *pedibus* a *cursibus*.

inaffectata veritas verborum ! Quæ asseveratio in voce[1] ! » vel apostrophas, quarum unam tamen, ut perridiculam, memorabo : « Hoc ipsum templum, has sedes quasi responsuras interrogemus, viderintne unquam principis lacrimas[2] ! » vel ὑποτυπώσεις, quibus res absentes vi imaginandi evocabat, atque ante oculos adsistentium proponebat : « Videor jam cernere... triumphum; videor ingentia ducum nomina..., videor intueri onusta fercula[3]...; » vel periodos illas, quas more Ciceronis numeroso verborum orbe finiebat, rhetoricæque opibus replebat[4]. Pauca modo de præcipuo hujus styli vitio dicam, id est de poetico colore.

Proprium est temporis in quo artes et litteræ inclinantur, non jam definitis terminis quæque genera circumscribi, prosamque in poesim, poesim in prosam defluere. Illud quidem, salvo scriptorum ingenio, dico, neque tam hominibus quam tempori tribuo. Quod et apud Juvenalem, et apud Tacitum animadverti potest, et, hercule, apud Plinium. Multæ enim sunt in Panegyrico imagines, multa verba, quæ poetam, non oratorem deceant. Cum de ædibus loquitur, quas Trajanus deterserat et restauraverat, illa tecta fingit spirantia et sentientia illo modo : « Muta quidem illa et anima carentia; sentire tamen et lætari vi-

[1] *Pan.* 67.
[2] *Id.* 73.
[3] *Id.* 17.
[4] Cf. cap. 16 : « Quod si quis barbarus rex........ terras ipsas arbitretur. »

dentur, quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperint esse domini scientis[1]. » Sed poetico colore præsertim illam de Ægypto egressionem perfudit. Quid revera evenerit, facile est simplicibus verbis dicere : Ægyptus, cum forte siccitate exaruisset, non solum non romanæ annonæ subvenerat, sed et ab Urbe, quam toties nutriverat, quoddam frumentarium auxilium acceperat. Sed hoc, si non ullis ingeniosis artificiis Plinius adornavisset, parum placuisset eruditis viris, quos ad probandas Panegyrici veneres arcessiverat : itaque eximias dapes delicatis istis apparavit. Ægyptum Nilumque, velut duas personas, finxit : immo vivunt, et sentiunt, et loquuntur : videsne illam superbam Ægyptum, quæ tamdiu « alendis augendisque seminibus ita gloriata est, ut nihil imbribus cœloque deberet ?..... Hæc inopina siccitate usque ad injuriam sterilitatis exaruit, quia piger Nilus cunctanter alveo sese ac languide extulerat..... Pudebat sterilitatis insolitæ, nec minus erubescebat fame quam torquebatur..... Frustra tum nubila optavit cœlumque respexit... » Dein irridet hanc regionem, quæ « sic opem Cæsaris invocavit, ut solet amnem suum..... Superbiebat ventosa et insolens natio... » Tandem Ægypto Niloque parum generose insultat, non sine quadam ridicula jactantia : « Discat Ægyptus non alimenta se nobis, sed tributa præstare, sciat se non esse populo romano

[1] *Pan.* 50.

necessariam, et tamen serviat. Post hæc, si volet Nilus, amet alveum suum et fluminis modum servet..... Ægypto quidem sæpe, sed gloriæ nostræ nunquam largior fluxit[1]. » Ovidii, vel potius Statii versus dicas, rhythmo destitutos; eadem est subtilitas, eadem nugas excogitandi facultas, eadem industria, qua seria ludendo tractantur. Nec dubito quin Plinio amici apploserint, et ex omni auditorii parte assurrexerint. Scilicet operæ pretium erat, ut talia audirent, per triduum convenisse, seque fœdissimis tempestatibus obtulisse...

Lysias dicere solebat ingenium non in verbis, sed in animo scribentis inesse, magnum quidem apud eum qui multum ingenii habet, parvum apud illum qui parum[2]. Plinii autem ingenium sæpius in verbis modo invenimus : adeo totus in elocutione pendet, atque inauditas dicendi formas requirit. Gloriabatur tamen, quod Græcos imitaretur, forsitanque in Panegyrico voluit cum Isocrate vel Hyperide æmulari. Sed difficile fuisset magis in effectu peccavisse! Hoc enim atticis orationibus eximiam suam pulchritudinem affert, quod in illis sensus per semetipsos placent, non per verba quibus exprimuntur, quodque stylus omnium probissimus est, idemque, ut ita dicam, pellucidus, intra quem dicentis animum, simplicem ac nitentem, perspicimus. Hanccine laudem de Panegyrico faciemus?

[1] *Pan.* 30 1.

[2] Ἡ γὰρ γλῶττα, κατά Λυσίαν τὸν ῥήτορα, νοῦν οὔτε πολύν, οὔτε μικρὸν ἔχει · ὁ δὲ νοῦς, ᾧ μὲν πολύ, πολύς, ᾧ δὲ μικρὸν, μικρός.
(Greg. Corinth. *de Dialect.* p. 4. Schæfer.)

Ne tamen illius operis vitia tantum consideremus. Sunt quidem crebra, et quæ in omnium oculos incurrant, sed non adeo tamen totum opus infecerunt, ut nullus melioribus Plinii facultatibus exercendis locus superfuerit. Non ubique ambitiosum et exquisitius hoc dicendi genus reperimus, quod forsitan nimia severitate carpsi. Sunt interdum permulta subtilia et acuta et argute dicta, quæ placeant tamen, quia ea non ad ornandum modo, sed ad ingeniosissimos sensus exprimendos scriptor excogitavit; sunt loci in quibus jucunditatem epistolarum agnoscimus. Sunt et nonnulla simplicia, remissoque stylo scripta, quæ lectorem reficiunt; neque enim in hoc opere lætioribus locis, ut solet, sed tristioribus ac severioribus recreamur. Plinius ipse introrsus suspicabatur fore ut posteri potius in Panegyrico austeriora quam blandiora laudaturi essent, scribebatque cuidam amico : « Sed ego « cum studium audientium, tum judicium mire « probavi. Animadverti enim severissima quæque « vel maxime satisfacere. Memini quidem me non « multis recitasse quod omnibus scripsi; nihilo- « minus tamen, tanquam sit eadem omnium futura « sententia, hac severitate aurium lætor; » et sic precabatur deos, (nescio an ex imo corde) : « ut « quandoque veniat dies, (utinamque jam venerit!) « quo austeris illis severisque dulcia hæc blanda- « que vel justa possessione decedant[1]. » Optime quidem et justissime dictum est, sed is erat

[1] *Ep*. III. 18.

Plinius, qui, cum meliora videret probaretque, deteriora sequeretur. Nempe in eadem epistola dissimilia hæc invenimus : « Ac mihi quidem confido in hoc genere materiæ » (de Panegyrico agitur) « lætioris styli constare rationem, cum ea « potius quæ pressius et adstrictius, quam illa quæ « hilarius et quasi exsultantius scripsi, possint « videri arcessita et inducta. »

Plus enim judicii quam voluntatis videtur habuisse Plinius. Cum gravius et sanctius et illis antiquis oratoribus quos imitari se profitebatur dignius dicendi genus affectaret, gloriæ fames propriique ingenii amor in omnino contrariam partem eum rapiebant. Plinium mecum fingo ut optimum atque excellentissimum virum, cui natura forte acutius ingenium dederit. Quidquid bonum et eximium erat, optabat; sed cupido ingenium proferendi bona hæc deformabat. Sic Romano suo ter centum millia sestertia, ducenta millia Corelliæ, quinque cuidam Quintiliano dabat, sed protinus epistolas scribebat, quibus sibimetipsi de illa generositate parum modeste gratularetur. Sic patriæ bibliothecam, vel pulchram statuam dederat, sed ingenio elaborabat, ut omnes tituli donantis in inscriptione cælarentur. Sic denique ille libertatis ac virtutis amantissimus civis, adulationis erga principem in Panegyrico reus est; sic ille Ciceronis ac Demosthenis discipulus mediocre floridi styli exemplum futuris oratoribus dedit.

III

QUID DE ELOQUENTIA PLINIUS SENSERIT

Justum est non de omni Plinio ex illa una, quam habemus, oratione judicare; nam Panegyricus demonstrativo generi adscribitur, nullumque aliud hujusmodi opus Plinius composuit; permultas autem seu in senatu, seu apud judices orationes habuit, quas deliberativo vel concertatorio dicendi generi tribuimus. In iis, quarum nulla ad nos pervenit, non contendo Plinium fuisse omnino sui dissimilem, severum et austerum oratorem; potuit tamen vitiis temporis sui minus indulgere, quæ mire panegyricis conveniebant; potuit minus floride eloqui, minus subtiliter excogitare; potuit aliquanto melius sui documentum dare. Quare in epistolis quæremus, quid de oratoribus et de eloquentia senserit. Rectius fortasse Plinium cognoscemus, introspiciendo quid voluerit, quam quid effecerit.

Hoc quidem ante omnia nostris oculis incurrit, postquam epistolas legimus, diversas multumque

inter se contrarias fuisse Plinio de eloquentia opiniones.

Dicere enim solebat se non contentum sæculi sui eloquentia esse, neque recentiores oratores cum veteribus posse comparari; cumque Regulus illi hoc pessimum de sua ætate judicium exprobraret, Plinius quod dixerat mordicus tenebat[1]. Lamentabatur quoque, quod causæ centumvirales splendorem antiquum jam non retinuerint, perpaucique oratores adstiterint, cum quibus dicere juvaret : « Ceteri audaces, atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuri, ad declamandum huc transeunt, irreverenter ac temere...[2] » Clamabat refracta esse pudoris ac reverentiæ claustra, omniaque patere omnibus; auditores a mancipe in media basilica, tanquam in triclinio, sportula donari; tanti constare, ut quilibet esset disertissimus; denique eloquentiæ artificium, ut verba Plinii usurpem, non modo perire incipere, sed « prope funditus exstinctum et eversum esse. » Sic durius et intemperantius in sæculum Plinius invehebatur, tantumque non exclamabat, ut quondam Tullius : O tempora, o mores! Idem tamen plerumque mitior atque indulgentior videtur, quoties ingenium amicorum suorum æstimat; haud procul abest, quin eos omnes præclarissimos oratores judicet, immo interdum Ciceroni ac Demostheni exæquet. Sic Pompeium Saturninum laudat : « Audivi causas agentem acriter et ardenter, nec minus polite et

[1] *Ep.* I, 5.
[2] *Ep.* II, 14.

ornate, sive meditata, sive subita proferret. Adsunt aptæ crebræque sententiæ, gravis et decora constructio, sonantia verba et antiqua... Senties quod ego, cum orationes ejus in manus sumpseris; quas facile cuilibet veterum, quorum est æmulus, comparabis[1]. » Denique nihil tanto viro deest, nisi apud veteres vixisse : « Si inter eos, quos nunquam vidimus, floruisset, non solum libros ejus, verum etiam imagines conquireremus. » Neque Pompeium Saturninum solum, sed quindecim vel viginti alios similibus laudibus extollit, ita ut, si ei crediderimus, nunquam tot et tam præclaros oratores in ullo tempore Romæ simul fuisse constaret. Nam et gloriatur quod nunquam liberalia studia tam splendide in Urbe floruerint, quod multa claraque exempla sint tantæ fecunditatis[2], quod toto mense aprili nulla fere dies fuerit, qua non recitaret aliquis[3] (non versus modo, sed et orationes recitabantur); denique, ut omnia uno verbo amplectatur, exclamat : « Non, me dius fidius, ipsas Athenas tam atticas dixerim[4]. » Ad hoc, idem Plinius qui stultissimum judicabat, ad imitandum non optima quæque proponere, quique se veteribus oratoribus æmulari sæpissime profitebatur, litteris gratulatur, quod juvenes Plinii vestigiis instantes, Plinioque æmulantes viderit.

Contraria sane hæc atque inter se pugnantia.

[1] *Ep.* I, 16.
[2] *Id.* I, 10.
[3] *Id.* I, 13.
[4] *Id.* IV, 3.

Neu quis contendat Plinium fortasse de eloquentia pessimum judicium tulisse, cum Domitianus omnes artes obruisset, et de litterarum renovatione gavisum fuisse, postquam Trajanus rempublicam refoverat. Hoc conjici nullo modo potest, si epistolas, ex quibus verba protuli, attente inspexerimus; nam si Plinius, ut Th. Mommsen firmissimis argumentis comprobavit, ordinem temporum in singulis epistolarum libris, vel etiam in singulis epistolis, est secutus, apparet eum in eodem tempore non eadem de eloquentia sensisse. Inde facile intelligimus, cum adeo in diversa traheretur, eum dixisse : « Nunc demum (circa annum 104 hæc videtur scripsisse) quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem, video[1]. » Nos quoque adhuc per caliginem ex epistolis videmus, quid Plinius de eloquentia senserit; videmus ta men, et in lucem proferre conabor.

Primum, ne severius Plinium reprehendamus, quod non de arte oratoria præcepta clara et evidentia sibi finxerit : hoc enim est vitium non Plinii modo, sed totius ætatis, et in primis Quintiliani. Scilicet in Institutione Oratoria duas contrarias opiniones, duo, ut ita dicam, flumina in diversum currentia invenimus. Nemo sane magis Ciceronem ceterosque illustres Romæ oratores dilexit quam Quintilianus, qui, cum in tempore viveret in quo Tulliana gloria paulum imminuebatur vel irridebatur, defendit acerrime, et in pristinum honorem

[1] *Ep.* V, 8.

pæne restituit. Liber Quintiliani quasi perpetuus Ciceronis commentarius est; neque Ciceronis modo, sed et oratorum atticorum, ex quibus plurima excerpta referuntur, quosque tanquam perfecta exemplaria discipulis sæpe proposuit. Idem tamen, qui veterem eloquentiam recenti anteponebat, ætatis suæ studiis atque etiam vitiis mire lenocinabatur. « Do tempori[1], » aiebat; neque pauca vel exigua dabat, sed plurima, et de quibus fere omnis eloquentia pendeat. Sic nimis rhetoricæ, parum grammaticæ concedit; sic oratorem ab incunabulis usque ad maturam ætatem speciali doctrina alit, neque litteratum virum effingit, dicendi peritum, sed potius eruditissimum discipulum, omni verborum artificio munitum. Optima sane sibi proposuerat Quintilianus, et lætabatur quod egregios juvenes formarat, romanæ eloquentiæ futurum decus; illos sane dignos putabat, qui Cæsaris vel Ciceronis vestigiis instarent : utinam modo nullos Plinio pejores discipulos habuisset!

Sic Plinius quoque in communem errorem labitur. Veterem eloquentiam admiratur, dumque vult imitari, recentioris ac multo pejoris eloquentiæ exemplum præbet. Si illi credimus, nemo est antiquorum amantior, nemo ζηλώτερος. « Tentavi imitari Demosthenem[2]. » — « Orationem Demosthenis κατὰ Μειδίου, cum componerem libellos de ultione Helvidii, habui in manibus, non ut æmularer (improbum enim ac pæne furiosum), sed tamen imita-

[1] *Inst. Orat.* XII, 10.
[2] *Ep.* I, 2.

rer et sequerer[1]. » Demosthenem vocat « normam oratoris ac regulam[2]. » Orationem pro Atta Viriola suam ὑπὲρ Κτησιφῶντος appellat[3]. Periclem et Æschinem et Hyperidem sæpe nominat[4]. Apud Romanos Ciceronem in primis extollit, cujus studia æmulari[5], copiam et ornatum assequi[6] cupit; sed et Pollionem, et Cœlium, et Cæsarem[7], et (quis credat?) Calvum ipsum[8] « nuper suum » diligit. Ex quo satis aperte videmus Plinium in veteribus non tam veteres ipsos, quam se ipsum amare, cum in quoque potissimum id diligat, quod melius suæ propriæ eloquentiæ congruat, in Cicerone copiam, in Calvo nescio quod in verbis exquisitum acumen. Quos omnes non quidem libero animo prædicat, ut eorum arti suam artem conformare enitatur, sed potius testes invocat, et quasi sponsores eloquentiæ suæ.

Etenim facilius est perspicere quomodo Plinius suam dicendi rationem temporis consuetudini accommodaverit, quam priscorum oratorum disciplinæ. Minime sibi constat, cum lætatur quod juvenes Plinium ut rectorem, ut magistrum intuentur, Pliniumque æmulari videntur[9]; frustraque optat in eadem epistola, ut omnes, qui Plinium

[1] *Ep*. VII, 30.
[2] *Id*. IX, 26.
[3] *Id*. VI, 23.
[4] *Id*. I, 20.
[5] *Id*. IV, 8.
[6] *Id*. I, 20.
[7] *Ibid*.
[8] *Id*. I, 2.
[9] *Id*. VII, 11.

tanti imitari putabunt, etiam Plinio sint meliores : timeo ne pejores evasissent, quam si Demosthenem solum imitati fuissent. Neque se solum tanquam regulam et magistrum proponebat, sed et, quod deterius erat, amicos et familiares tanquam suæ eloquentiæ arbitros instituebat. Quæcumque scripsit, amicis dedit emendanda corrigendaque; sed simul, quæ mittebat, tantis laudibus ipse commendabat, ut difficillimum fuisset quidquam in opere tam laudato reprehendere. Sic Arriano orationem mittit figuris plenam, et ληκύθοις amœnam, acrem tamen, ut dicit, et vehementem[1]. Sic Pompeio Saturnino orationem, quam apud municipes bibliothecam dedicaturus habuerat, mittit, rogatque ut non tantum universitati ejus attendat, verum etiam particulas qua solet lima persequatur[2] : amici responsum non habemus ; sed, ut licet credere, non multo severior fuit erga Plinium Saturninus, quam Plinius erga Saturninum esse consueverat[3]. Sic Luperco quoque longiorem actionem exhibet[4] ; sed quamvis amico liberaliter emendandi atque resecandi copiam dederat, ægerrime fert quod Lupercus plura ut tumida emendavit, atque ut supervacanea resecuit[5]. Minutio quoque libellum emendandum mittit, sed timet ne amicus κακόζηλος sit, et optima quæque, scilicet sonantia

[1] *Ep.* I, 2.
[2] *Id.* I, 8.
[3] *Id.* I, 16.
[4] *Id.* II, 5.
[5] *Ep.* IX, 26. Non de eadem actione forsitan agitur, de qua in *Ep.* II, 5 : sed parvi rei interest.

et elata, tanquam tumidiora detrahat[1]. Sic censu ram ex imo corde suis operibus optat! Sed, amici orationes Plinii sæpissime emendaverint, volo: pejus hoc forte fuisset quam si non emendavissent! Nimium igitur tempori dabat ille Demosthenis atque Hyperidis æmulator, cum orationes suas Saturninis vel Arrianis ævi sui corrigendas traderet. Hoccine modo sperabat fore ut eloquentia melior fieret, et aliquem antiquæ facundiæ spiritum hauriret?

Hoc enim fuit maximum et capitale Plinii vitium, ideo scripsisse, non ut veritatem modo quam absolutissime exprimeret, non ut verba ad illius pulchritudinis exemplar, quod in animo versabatur, fingeret, sed in primis ut ducentis vel trecentis eruditis et delicatis viris placeret, in quibus tum romanæ litteræ continebantur, et penes quos erat illa præsens et temporaria gloria, quam Plinius æque ac futuram concupiscebat. Nam non solum uni aut alteri familiarium legebat orationes, quas nuper dixerat, sed, quod periculosius erat, in auditorio plurimis amicis, ex omni urbe arcessitis, recitabat. Quanto ardore has recitationes foverit et coluerit, satis notum est, neque hic locus est repetendi quomodo ad stylum earum orationum, quas accuratissime retractatas edebat, bene aut male profuerint. Sed his recitationibus eloquentia non leviter et summatim, verum radicitus pervertebatur. Neque enim modo, postquam recitaverat, Pli-

[1] *Ep.* VII, 12.

nius orationem studiosorum arbitrio accommodabat, sed et antequam recitaret, cum in senatu aut apud centumviros haberet, jamjam accommodabat. Dixit enim (atque utinam non dixisset!) : « Est oratio actionis exemplar et quasi ἀρχέτυπον[1]; » sic orator, cum loquitur, non quidem actionem quam habet, verum orationem, quam postea est scripturus, mente debet intueri; et, quidquid dicitur, simillimum esse debebit ei quod scribetur, et quod scriptum recitabitur. Cum amicorum judicio tantum inserviret, necesse erat ut omnes orationes, tanquam recitaturus esset, componeret. Semper ante oculos habebat illum quasi litterarum areopagum, cui omnia, quæ e calamo excidebant, opera permittebat, et quem omnis elegantiæ atque eloquentiæ arbitrum æstimabat. Quoties auditorium ingrediebatur, pallebat, et horrescebat, et circumspiciebat, omniaque hæc multum ad emendandam orationem proficere putabat[2] : sed, cum in curia aut in basilica diceret, nonne præteriti aut futuri auditorii metus eum exstimulabat? Jam tum loquebatur non solum ut vinceret, judicesque commoveret, sed ut delicatis, quorum unus aut alter inter audientes adsistebat, placeret; quare dicta ornabat, sententiis ac salibus distinguebat, denique omnes illos calamistros, illas phaleras spargebat, quibus in recitando assueverat. Aiebat enim cum quadam simplicitate : « Omnes, qui placendi

[1] *Ep.* I, 20.
[2] *Id.* VII, 17.

causa scribunt, qualia placere viderint, scribunt[1]. » Atque idem ille, qui se eloquentia sæculi sui minime contentum profitebatur, Demosthenemque imitari tentabat, omnium suæ ætatis litteratorum hominum arbritrio confidebat, iisque « singulis judicii parum, omnibus plurimum[2] » inesse credebat. Sic multitudinis suffragio eloquentiam tradebat, ne dicam venditabat.

Hoc saltem apud Plinium probare vehementer debemus, quod non in schola diutius, ut nonnulli ejusdem temporis facundissimi viri, remansit. Illi enim contigit, ut pæne adolescentulus in honorum curriculum sit ingressus, vitamque potius in actione, quam in jejunis exercitationibus impenderit. Quintilianum magistrum audiit, et præcepta ejus hausit, non tamen ita ut in schola commoraretur, ingeniumque suum ultra adolescentiæ tempus declamationi conferret[3]. Publica officia veræque causæ illum perpetuo distrinxerunt, ejusque eloquentiam quasi actuosam et concertatoriam præstiterunt; neque in apparatis solum orationibus eminuisse videtur, sed et in ex tempore dictis, et in acute responsis, qualia nobis nonnulla in epistolis transcripsit[4]. Non æternus discipulus fuit, ut quidam fuere, sed cito orator, qui veras et magnas causas ageret. Plena illa et honestissima

[1] *Id.* III, 18.
[2] *Id.* VII, 17.
[3] Cf. Quintilianum : « In scholis educatur orator ; et in eo, quomodo declamatur, positum est etiam, quomodo agatur. »
[4] Cf. *Epist.* (I, 5) ad Voconium Romanum, in qua Plinius narrat, quemadmodum Regulo divinitus responderit.

negotiis referta vita forsitan Plinium a recitationum gravissimis periculis paululum defendit. Sed cum fortuna illi tam mire sit famulata, ipse interdum videtur tranquilliorem vitam desideravisse. Cum Euphrates die quadam illi affirmaret « esse hanc philosophiæ et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere et exercere justitiam, quæque ipsi doceant, in usu habere, » parum Plinio persuadebatur « satius esse ista facere, quam cum Euphrate dies totos audiendo discendoque consumere [1]. » Isæum quoque rhetorem, quo neminem « torrentiorem » fuisse Juvenalis dicit, Plinius tam pulchris ornat laudibus, ut nos de tanta admiratione merito simus solliciti. « Dicit semper ex tempore, sed tanquam diu scripserit... Poscit controversias plures, electionem auditoribus permittit, sæpe etiam partes. Surgit, amicitur, incipit... Ornat excelse... Crebra νοήματα, crebri syllogismi, incredibilis memoria..., sermo græcus, immo atticus... » Deinde hanc ultimam laudem affert : « Annum sexagesimum excessit, et adhuc scholasticus tantum est : quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius... Quare ergo Isæum non disertissimum tantum, verum etiam beatissimum judico [2]. » Nos contra felicem Plinium judicemus,

[1] *Ep.* I, 10.

[2] *Ep.* II, 2. — Idem Plinius, parum sibi constans, Titum Aristonem laudat « quod non gymnasia sectatur aut porticus, nec disputationibus aliorum otium suumque delectat, sed in toga negotiisque versatur. » (*Ep.* I, 22).

quod illam beatitudinem non sit assecutus, neque ingenium in fictis inanibusque causis perdiderit.

E schola tamen, et ex auditorio, hanc consuetudinem duxerat orationem in longum provehendi, semperque cavendi ne quidquam in causa omitteret. Nam cum in suasoriis vel controversiis discipuli exercerentur, in hoc ante omnia elaborabant, ut quæcumque pro causa dici potuisset, dicerent, et, quæcumque refelli, refellerent; in argumentorum electione ac varietate spectabatur oratoris ingenium, isque super ceteros habebatur, qui plura in sicca jejunaque materia dixerat; cumque tot præcepta rhetores excogitavissent, totque inveniendi, et disponendi, et ornandi rationes, nulla res nisi plene et cumulate agebatur. Ex recitationibus pariter talis mos increbuerat, cum amicorum patientiam facilius esset experiri, quam populi, vel judicum, cumque animus audientium semper ab exquisitis sententiis clarisque orationis luminibus stimularetur : nonne Plinius Panegyricum per triduum recitavit? Sic et in veras causas defluxerat illa verborum abundantia, quæ sæpius eloquentia et copia vocabatur; adeoque judices diffusionem orationum oderant, ut patronis tempus certum, quod non transgredi liceret, lex assignavisset. Tum clepshydra data oratori, una aut altera, aut etiam plures; numerus enim penes judicantes erat. Lex erat, sed non dura lex, ut apparet, cum M. Aquilius Regulus libera tempora a judicibus peteret et impetraret, cumque Plinius ipse in Marii Prisci causa decem clepshydras, et quidem spatiosissi-

mas, acceperit[1], illisque fuerint additæ quatuor. Acerrime tamen in hunc morem noster invectus est, atque summa vi libertatem orandi adversus illa legum claustra defendit. Indignabatur, quod invaluerat consuetudo binas, vel singulas, interdum et dimidias clepshydras et dandi et petendi, atque hanc in loquendo brevitatem negligentiæ atque desidiæ imputabat. « Nam et qui dicunt, egisse malunt quam agere; et qui audiunt, finire quam judicare[2]; » atque huic festinationi licentiam veterum opponebat : « An nos sapientiores majoribus nostris ? Nos apertius dicimus, celerius intelligimus, religiosius judicamus? Hebetes illi et supra modum tardi ? » Ægre ferebat frenos eloquentiæ ac legibus injici, atque velut ultimam rationem Ciceronis copiam proferebat. Jure quidem ; sed non intelligebat opus non fuisse Ciceronis et veterum oratorum copiam compescendi, profluentiæ vero posteriorum causidicorum clesphydram injunctam fuisse; neque tam desidiam ætatis, quam oratorum loquacitatem incusare debuisset.

Immo ipse palam et aperte profitebatur se longiorem eloquentiam breviori multo anteponere. Non loquor de LCV Panegyrici capitibus, cum illam, quam tenemus, orationem non in curia Plinius habuerit[3]. Sed ex epistola quam Tacito

[1] *Ep.* II, 11.
[2] *Id.* VI, 2.
[3] Quotiescumque ad amicum Plinius quamdam actionem mittit, semper longitudinem excusat, vel amplitudinem laudat. Cf. *Ep.* IV, 5 — IX, 4.

misit, videmus quosdam in Plinio reprehendisse quod illi brevitas parum placeret. Quibus respondebat prævaricationem esse transire dicenda (sed quæ dicenda sunt, quæ supervacanea ? de hoc potissimum agitur), longiore tractatu operibus vim quamdam ac pondus accedere : « Ut aliæ bonæ res, ita bonus liber melior est quisque, quo major..... Voluminibus ipsis auctoritatem quamdam et pulchritudinem adjicit magnitudo[1]. » Cumque Regulus illi aliquando dixisset : « Tu, omnia quæ sunt in causa, putas exsequenda : ego jugulum statim video, hunc premo, » respondit Plinius « posse fieri ut genu esset, aut tibia, aut talus, ubi ille jugulum putarat. Ast ego, » inquit, « qui jugulum perspicere non possum, omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ. » Eloquentiam prædio similem putabat, in quo non vineæ tantum, verum etiam arbusta, et campi exercentur, neque far tantum aut siligo, sed et hordeum, faba, ceteraque legumina seruntur, ita ut ex tam multis seminibus aliqua certe proveniant. Utri consentiemus, Regulo an Plinio ? Fateri debemus Plinii præceptum magis patrono convenire, Reguli magis oratori. Si quis enim in actione tam callidus fuerit, ut omnes causæ recessus penitus exploraverit, omnibusque, qui audiunt, dederit aliquid quod teneant, et quod agnoscant, forsitan eveniet, ut vincat hac variorum argumentorum conjunctione : forsitan et vim orationis nimis

[1] *Ep.* I, 20.

argumenta explicando imminuerit. Qui vero in causæ quasi præcordia statim penetraverit, et illuc omnia eloquentiæ fulmina converterit, ille dignior erit, qui orator vocetur. Quid Tacitus amico responderit, nescimus; non omnino tamen eum con sensisse putamus; nam non is erat Tacitus, qui omnia de omnibus cumulate, sed pauca quam optime, dixisse vellet, neque eloquentiam in octo vel decem clepshydris includi sane arbitraretur[1].

Illud ante omnia in Cicerone Plinium delectabat, quod princeps Romanorum oratorum *copiose ornateque* dicendi auctor fuerat. De copia satis vidimus quid senserit Plinius; quod ad ornatum attinet, breviter requiram, quomodo Tullianum præceptum fuerit exsecutus.

Nemo infitiabitur ornamentum partem elocutionis esse quasi necessariam, sæpissime rebus gratiam singularem e stylo manare, magnique momenti in oratione figuras esse. Sed quando materies ornari debet? Quando nuda et sincera vult tractari? Hoc potissimum videbit orator, neque seria ludendo, neque hilaria cum tristitia tractabit. At Plinius non modo locos definitos ad erigendum dicentis animum atque aliquot etiam flores decerpendos reservat, sed ubique quamvis materiam tali modo tractari velit. Irridere solebat sæculi sui oratores, si quis rectus quidem et sanus, sed parum grandis et ornatus videbatur. « Nihil peccat, aiebat, nisi

[1] Cf. tamen quid in *Dial. de Orat.* (22) Julius Secundus de copia et de ornatu sentiat. Pæne similia sunt hæc illis quæ in Plinio invenimus. « Ego autem oratorem..... » Hæc Tacitum juvenem, nondum historiarum scriptorem, redolent.

quod nihil peccat[1]. » Vitium igitur putabat omni vitio carere, aut saltem virtutem quamdam perspicuam non habere. Sic in Panegyrico omnes ληκύθους, ut Ciceronis verbo utar, sparserat, bene vel male olentes. Sic poeticos sensus, quos in descriptionibus locorum omnino congruentes judicabat[2], sic figuras omnes atque omnia λέξεως vel διανοίας σχήματα ingeniosissime excogitabat et in oratione disponebat. « Debet enim orator erigi, attolli, « interdum etiam effervescere, efferri, ac sæpe « accedere ad præceps. Nam plerumque altis et « excelsis adjacent abrupta : tutius per plana, sed « humilius et depressius iter : frequentior curren- « tibus quam reptantibus lapsus; sed his non « labentibus nulla, illis nonnulla laus, etiamsi « labantur. » Difficile sit pejus et periculosius præceptum illis novis, quos formare gloriabatur, oratoribus suppeditare. Quid? eloquentiæ præmium non in veritate, neque in simplicitate, neque in sinceritate ponitur, sed in audacia! Quidlibet audeant juvenes; dummodo ausi fuerint, Cicerones ac Demosthenes, immo Plinii erunt : « Sunt enim maxime mirabilia, quæ maxime insperata, maxime periculosa, utque Græci magis exprimunt, παραβολά. » Et ad confirmandam illam sententiam, comparationem quamdam adhibet, non quidem sine audacia, at saltem sine ulla veritate : « Nequaquam « par gubernatoris est virtus, cum placido et cum

[1] *Ep.* IX, 26.
[2] *Id.* II, 5; VII, 9. — Cf. quoque Tacitum in *Dialogo de oratoribus*, 20 : « Exigitur jam ab oratore etiam poeticus color. »

« turbato mari vehitur; tunc, admirante nullo, « illaudatus, inglorius subit portum; at, cum stri- « dunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, « tunc ille clarus et diis maris proximus. » Sed ille gubernator mare, qualecumque sit, patitur, non placidum neque turbatum suo arbitrio efficit; quare, quoties sævit tempestas, laudatur, nec immerito, si dignam periculo diligentiam et fortitudinem ostenderit; sed si ille sponte fluctus ciere ac turbare potuisset, nec scivisset illa tempestate quam conflaverit incolumis exire ad portum, neque illis fluctibus, quos tranquillos esse non voluerit, emergere, tum rideretur, atque insanus voce communi judicaretur. Sic causidicum, qui suis manibus excelsa quædam et elata in itinere suo instituit, ut ascenderet, abrupta quædam et præcipitia, ut præteriret, minime laudabo, nullaque misericordia dignum æstimabo, si forte in mediis exercitationibus collabetur; sed potius gymnasiarchis quam oratoribus annumerabo. Nec immerito : etenim nonne Plinius ipse funambulo hunc oratorem æquavit, justa quidem comparatione ? « Vides, qui « per funem in summa nituntur, quantos soleant « excitare clamores, cum jam jamque casuri viden- « tur ? » Sic Quintilianus oratorem (sed de demonstrativo genere tantum loquebatur) institori similem esse dixerat, qui suas merces dat intuendas ac pæne pertractandas. Egregium sane fructum discipulus e magistri monitis perceperat !

Cum mihi in animo fuerit quomodo Plinius vitia sæculi sui non satis repudiaverit neque satis

eloquentiam a præsentibus periculis defenderit, ostendere, timeo ne forte erga optimum eumdemque studiosississsum virum severior fuisse videar. Neque enim volui de melioribus atque etiam præstantissimis Plinianæ eloquentiæ partibus disserere, neque simul satis æquum judico has omnino prætermittere. Nempe Plinius revera melior fortasse orator fuit, quam videtur, pejoremque de se æstimationem dedit, cum nihil nobis nisi Panegyricum reliquit. Vel in epistolis, ubi tam diversa, atque etiam tam contraria de eloquentia præcepta invenimus, sæpius optima consilia dat juvenibus, vereque oratore digna. Sic admonet Quadratum suum et multum legat, et scribat, et meditetur, ut possit, cum volet, dicere; admonet etiam nimiam facilitatem effugiat, quæ ex frequentiori usu comparatur, atque eloquentiam enervem et elumbem reddit; atque adjicit : « Commode agendo factum est, ut sæpe agerem; sæpe agendo, ut minus commode. » Prudentissima quidem hæc, multisque illius temporis oratoribus proponenda, qui illa arte dicendi sæpe fuerunt abusi. Interdum et cum audentia et tumidiora in oratione laudaret, non sine tamen quodam scrupulo laudabat, addebatque : « Sed opus est examine et libra, incredibilia sint hæc et immania, an magnifica et cœlestia;[1] » fatebaturque modum quemdam esse in rebus. Immo ne illi crimini vertamus, quod tam acriter suos amicos ad imitationem veterum incitavit : nam cum huc devenisset

[1] *Ep.* IX, 26.

eloquentia, ut sine quodam fulcimento stare non posset, melius erat Ciceronem, aut Demosthenem æmulari, quam si quemvis minorem oratorem proposuisset; nempe Plinius unus ex iis fuit, qui, Quintiliano magistro, Ciceronis gloriam aliquando non dico exstinctam, sed languidam et pallescentem, refoverunt, et in antiquum splendorem restituerunt. Denique quibusdam eximiis oratoris dotibus Plinius erat præditus, id est præsenti animo et acuto, qui rebus semper par esset, neque in periculo dicentem linqueret; qualecumque fuerit illi in agendo ingenium, multum sane eloquentia valuit ille, qui toties senatum, et judices, quo vellet, impulit. Hoc tandem præclarissimum in Plinio fuit, quod semper veritatem, si non in stylo, at saltem in causa dilexit et coluit, neque solum vir dicendi peritus, atque etiam peritior fuit, sed quoque et in primis vir bonus, qualem olim Cato oratorem finxerat.

Sed etsi optimi fuerunt Plinii mores, miraque illa, quam studiis adhibuit, voluntas, nunquam inter excellentissimos Romæ oratores annumerabitur; sed princeps dicetur eorum, qui inviti Romanam eloquentiam ad pejorem formam dicendi inclinaverunt. Nemo ante Plinium tantam vim dederat artificio, et in primis, si partes oratorias consideramus, elocutioni[1]. Jamdiu quidem hoc malo elo-

[1] Ingeniosissime ostendit Gast. Boissier (*Journal des Savants*, nov. 1887) hoc vocabulum *eloquentiam* non jam in illo tempore ad oratoriam virtutem reservari, sed omne genus studiorum significare, ut ex Apro apparet in *Dial. de Orat.*: « Ego vero omnem eloquentiam omnesque ejus partes sacras et venerabiles puto ; nec

quentia laborabat : immo Cicero ipse (etiamsi hoc παράδοξόν videbitur, dicam tamen), ut eloquentiæ magnum decus attulerat, orationes habendo, sic invitus valde nocuerat, cum libros *de Oratore* et ceteros de rhetorica arte edidisset. Frustra in iis Antonium induxerat, qui plus ingenio quam doctrina oratori opus esse rebatur ; in præcepta tamen primus hanc eloquentiam redegerat, quam ipse magis in foro quam in externis scholis didicerat. Dein rhetores officinas dicendi juvenibus aperuerant; multi de rhetorica scripserant ; denique Quintilianus in eximiis quidem et pro ætate optimis *de Institutione* libris oratorem ab incunabulis usque ad perfectam eloquentiæ laudem duxerat. Sed quot præcepta discipulo exsequenda! quot leges bene loquendi! quam varia et multiplex disciplina, cui vix humana vita sufficeret! Nunquam tam bene notum fuit, quam sit ardua ars dicendi ; nunquam tot remedia allata infirmitati dicentium. Sic retineri et stabiliri eloquentiam labantem credebant, sic contra proclivis, et quasi præceps ruebat. Nam oratoriæ arti accidebat, quod et epicæ poesi accidere solet; cum semel nimis notum est, quomodo fabulæ in poemate inserendæ sint, quomodo res tractanda, heroesque fingendi, cum denique omnia operis artificia scriptor tan-

solum cothurnum vestrum, aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem, et elegorum lascivias, et iamborum amaritudinem, et epigrammatum lusus, et quamcumque aliam speciem *eloquentia* habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo... » (10). — Cf. etiam cap. 6, in quo Aper de voluptate *oratoriæ eloquentiæ* loquitur.

quam in manu prompta habet, tum Iliades scribi non jam possunt. Sic cum orator omnem eloquentiæ structuram et quasi machinam penitus perspexit, tum omnem eloquentiæ animam evanuisse videt, nilque inter manus nisi vacuam formam fractamque corticem remanere.

Sed supervacaneum est plura de causis inclinatæ eloquentiæ dicere, cum Tacitus tam magnifice in *Dialogo* ceteras explicuerit. Fuere enim qui in hoc tempore viderint malum, quo litteræ et in primis eloquentia laborabant; at quemadmodum viderunt, sic remedium afferre non jam poterant: quorum fuisse Tacitum satis constat. Quem cum Plinio, cum ambo arcta familiaritate conjuncti fuerint, comparare operæ pretium est. Tacitus quidem in eloquentia clarissimæ spei destinatus fuisse videbatur; nescimus an Quintilianum magistrum habuerit; at sane illum, ne amplius dicam, audivit, cum Plinii propemodum æqualis fuerit. M. vero Aprum et Julium Secundum qua mira studiorum cupiditate, quo ardore juvenili non solum in judiciis, sed etiam domi et in publico assectatus fuerit, ipse in initio *Dialogi* testatur[1]; quanto amore artem foverit et dilexerit, satis ex illa splendidissima eloquentiæ laudatione apparet, quam Apro attribuit : nam hæc ardentia atque exsultantia verba nunquam excogitasset, si non in intimo corde eamdem flammam adhuc vigentem sensisset: et quamvis non ingenio, sed memoria tantum et

[1] *Dial. de Orat.* 2.

recordatione opus sibi esse in hoc libro fateatur[1], pro certo habemus eum ibi plus ingenii quam recordationis impendisse, aut saltem suorum forensium triumphorum memoriam evocasse. Quoad nobis ex Plinii epistolis perspicere datur, Tacitum cognoscimus magnum oratorem fuisse, laudatorem Virginii Rufi *eloquentissimum,* accusatorem Marii Prisci gravem, atque, ut esse solebat, σέμνον, adolescentibus stipatum, qui eum tanquam magistrum et exemplar colerent, denique eum quem Plinius, non dicam longo, sed quodam tamen intervallo sequeretur. Gravior enim Tacitus, et sanctior, minusque ingenii sui amans, magisque veteribus oratoribus similis, quamvis sæculi sui luxuriantem stylum non omnino aspernaretur. At, dum Plinius, in suimet ipsius admiratione inhærens, credit Romæ sub Trajano eloquentiam renasci, atque iterum florere, Tacitus modestior, suique ævi magis conscius, introspicit causas cur eloquentia præceps eat, et antiquo honore destituatur. Ut Aper Taciti sensus expresserat, sic Messala quoque sine dubio exprimit, cum rhetores incusat pravamque adolescentium disciplinam vituperat; nempe desiderat veterem consuetudinem fori, in quod non e scholasticorum officinis, sed ex grammaticorum ludis, honestis studiis referti, adolescentes deducebantur. Sic Maternus quoque Taciti sententiam aperit, cum ostendit Romæ non locum simul esse eloquentiæ et principatui, atque hæc insignia

[1] *Dial. de Orat.* 1.

verba profert, in quibus nonnulli contenti civilisque animi indicium perspexerunt, plena vero, ut quidem mihi videtur, nescio qua mira patientia tristique amaritudine : « Quid opus est longis in se« natu sententiis, cum optimi cito consentiant? « Quid multis apud populum concionibus, cum de « republica non imperiti et multi deliberent, sed « sapientissimus et unus? Quid voluntariis accu« sationibus, cum tam raro et tam parce pecce« tur[1]? » At quidquid de novo rerum statu bonoque sæculi sui Tacitus senserit, non saltem illum illusit renascentis fori species, sed aperte intellexit finem esse illius eloquentiæ, qua olim Roma floruerat, quamque ipse ore suo exprimere voluisset. Itaque, quamvis orator eximius, ut in tali tempore, omniumque admiratione cinctus, obticere illam vocem, qua Rufum laudaverat Priscumque accusaverat, passus est, totusque in historias, quasi in apertum liberumque campum, confugit.

Plinius vero non voluit se tanquam a sæculo suo secludere, oculosque tantum in posteritatem vertere : maluit ea præsenti gloria frui, quam in judiciis, aut in senatu, colligebat, quam queadeo liberaliter illius ævi scriptores sibi invicem decernebant. Hinc omnia quæ nos in Panegyrico offendunt vitia fluxere; nempe Plinium magis quam Tacitum ætas sua propria nota signavit, cum ille omnibus rebus sese miscuerit, hic vero se ab iis tanquam abstraxerit. Neque illud omnino Plinio crimini, Tacito autem laudi vertere mihi in animo est.

[1] *Dial. de Orat.* 41.

Uterque enim de patria ac litteris etiam est bene meritus, diversa tamen fortuna. Alter viam longiorem ac tutiorem elegit, et quæ patientiam præsentisque gloriæ aliquem contemptum rogaret: ferebat æquissime, quod non primus vocaretur inter ætatis suæ studiosos (erant enim qui nonnullos Tacito præferrent[1]), sed κτῆμα εἰς ἀεὶ condebat, cum illas historias ederet, quas Plinius augurabatur, nec immerito, immortales futuras: quare Taciti opus, etsi illud tempus, in quo fuit compositum, aliquantum in stylo redolet, non illi sæculo solum, sed omni ævo scribebatur. In Plinio vero plura apparent dicendi vitia, cum magis ætatis suæ respectum, quam posteritatis, habuerit. Proprium enim est eloquentiæ arctissime ætati, in quâ viget, inhærere, et suimet ipsius tanquam duas partes facere, quarum altera, major quidem, tempori præsenti statim datur, altera venturo. Sed, quamvis caduca fuerit Plinii eloquentia, ei tamen hanc laudem tribuemus, quod, si non apud futuros scriptores eximios fructûs ediderit, saltem reipublicæ utilissima fuit, bono et justitiæ devota, denique omnino civilis. Si eum virum vocare oratorem licebit, qui optima et probissima persuadeat, Plinium magnum oratorem fuisse nemo negabit, maximum etiam, ut in sæculo qui perfectum continere non posset.

Sed facilius de Plinii eloquentia judicium faciemus, si posteriores oratores, qui in sequenti ævo

[1] *Ep.* VII, 20 (Nec desunt qui utrique nostrum præferantur),

floruerunt, considerabimus. Quibus sane præferemus nostrum Plinium, qui multo propius est Cicerone et Quintiliano, multoque acutiore ingenio præditus : sed, (jure, an immerito?) princeps haberi potest omnium illorum qui, prout respublica in pejus labebatur, eloquentiam simul inclinaverunt, omninoque pristinæ naturæ dissimilem effecerunt. Ut unum quidem exemplum afferam, in Frontone multa agnoscimus quæ nos jam apud Plinium instrospicere possumus. Scilicet, quamvis siccitatis plerique Frontonem arguerint, hoc maxime in illo reprehendemus, quod et veteres ita serviliter imitatur, ut vere antiquarius sit, et simul ita depravato judicio utitur, ut imagines et omnes figuras in oratione pro sensibus adhibeat[1]. Nonne eadem in Plinio, tam diligenti Atticorum oratorum imitatore tamque florida et exquisita affectante, reperimus? Quod signum est labentis et decrescentis eloquentiæ, cum pæne tota in imitationem confugit; nam tum, cum maxime imitatur, longissime ab illis exemplaribus, quæ sibi proponit, discedit.

Quod si non jam secundum sæculum sed posterius ævum intuebimur, clarius apparebit, quantum momentum habuerit ille Panegyricus quem Plinius Trajano dixerat. Jus enim privatum publicumque ita paulatim sese variis rationibus implicuerat, ut non jam fieri posset ut idem homo rhetoricæ et juris peritissimus evaderet : itaque sejuncta fuerunt, quæ adhuc apud Plinium conjungebantur;

[1] Cf. Droz (op, cit.).

judicia penes pragmaticos plerumque fuere; cetera eloquentia, quæ penes oratores mansit, fere tota in laudationibus et panegyricis sese continuit. Trium generum, quæ veteres rhetores in eloquentia discernebant, genus demonstrativum super cetera eminuerat. Non jam de reipublicæ administratione, neque de rei cujusdam capite vel damnatione agebatur, sed in primis de imperatore omnibus humanis divinisque laudibus ornando. Hinc originem duxere tot panegyrici, seu genethliaci, seu pro qualibet causa dicti, in quibus non jam Trajanus Optimus Maximus, sed Maximianus, vel Constantius, vel Constantinus, vel Julianus, vel Theodosius ad sidera efferebantur, et quidem fere iisdem verbis, quibus Plinius quondam usus fuerat. Nam Trajani Panegyricus ceteris quasi exemplar atque ἀρχέτυπον remansit. Si ea, quæ Mamertinus consul de Juliano imperatore dixit, legemus, simillima iis quæ Plinius de Trajano prædicaverat, inveniemus[1]. Si Plinius adhuc vixisset, sane lætatus fuisset quod tot perfecti principes, etiam meliores Trajano (si panegyristis credamus) Romæ contigissent, tamque ornatum et floridum dicendi genus oratores elegissent; lætatus in primis fuisset, quod Plinium, æque ac Ciceronem, æmularentur; quodque litteræ validæ et vigentes adhuc viderentur. Nam illi, qui Constantium vel Julianum laudabant, minime

[1] Cf. in primis quæ Mamertinus de urbanitate Juliani dicit, quæ de civitate, de humanitate erga collegas : « Mixtus agmini togatorum, præire cœpit pedes..... » Julianumque cum Bruto et Valerio comparat : « Illorum anno libertas orta est, nostro restituta. » (Cap. 30). Plinium audire nos credimus.

conscii erant inclinatæ atque etiam lapsæ eloquentiæ. Sed quemadmodum Plinius omnia renasci sub Trajano crediderat, sic Eumenius rem romanam plurimum terra marique valere, et eloquentiam iterum florere [1] dictitabat; sic Mamertinus Juliano : « In exstincta litterarum studia flammasti ! [2] » Quin etiam felicius paulo post fuit tempus, in quo illi antiqui Romæ oratores renasci et revirescere in uno homine viderentur : de Symmacho loquor, quem Macrobius nullo veterum minorem, neque Cicerone, neque Sallustio, neque Frontone fuisse affirmat, denique Plinio ipsi exæquat, cum ambo in pingui ac florido genere dicendi sint luxuriati [3].

Has Panegyrici pœnas Plinius dabat.

[1] Eumen. *Pro restaurandis scholis,* cap. 19.

[2] Mamert. *Paneg. Juliani,* cap. 23.

[3] Macrobius. *Saturn.* V, 1 : « Quatuor sunt genera dicendi : copiosum, in quo Cicero dominatur ; breve, in quo Sallustius regnat, siccum, quod Frontoni adscribitur, pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur. »

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
pridie kal. mart. ann. MDCCCLXXXVIII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector.
GRÉARD.

INDEX

Grenoble. — Imprimerie F. ALLIER PÈRE & FILS, Grande-Rue, 8.